Conringii,
de Germanorum
imperio Romano.

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBI
900000

Cl Hist.

J.391

HERMANNI CONRINGII
DE
GERMANORVM IMPERIO ROMANO

LIBER VNVS.

Acceſſit FRANCISCI GVICCIARDINI Diſcurſus de Origine Secularis poteſtatis in Romanâ Eccleſia.

HELMESTADI,

Ex officina HENNINGI MVLLERI acad. typ.

Sumptibus MARTINI RICHTERI.

CIↃ IↃC XLIV.

SERENISSIMO CELS.^MOQ^UE PRINCIPI,
DOMINO
AVGVSTO
DVGI BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM
PRINCIPI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO
S. D.
HERMANNVS CONRINGIVS.

OFfero Celſit. Tuæ, Sereniſſime Princeps, librum mole quidem exiguum at argumenti certè neutiquam proletarii. Agit quippe de illo nomine illiſq; juribus Germaniæ noſtræ, quibus maximè illa jam aliquot ſeculis præ aliis Europæ rebuſpubl. fuit conſpicua & illuſtris: licet eorum ratio obſcurior ſit & erroribus vulgi obnoxia. Neq; verò, ut nomina illa in vulgus ſunt cognita, ita perinde etiam quid ſibi velint omnibus notũ eſt: ſed multùm id hodie quidẽ videtur obſcurũ, exortis paſſim ſententiis quæ Germanicæ libertati ac dignitati queant aliquando per eſſe noxiæ, imò jam tũ haud leve dederunt detrimentum. Enimvero ex quo perſpicere hæc penitius aliquãto incepi, optavi idemtidẽ ut quis, tenebris omnibus diſcuſſis, ſolem veritatis etiam hîc ſpectandum iterum

exhiberet. Verùm dum aliorum operam circumſpicio & deſidero, ipſemet ego, neſcio quî, adigor invitus ad laborem illum, ut à vitæ genere ita ab animo alienum, ſuſcipiendū. Neq; enim declinare licuit hoc negotiū, neq; non invitus potui id agere quod ab artis medicæ ſtudiis, quibus me & vitæ ratio & munus Academicū adſtringit, toto penè, quod ajunt, cælo remotum eſt. Fateor tamen, minùs me neceſſitatis legi obluctatum eſſe, quod exiſtimaverim, horas illas ſuccíſivas, quas hoc proximo tempore huic rei impendere debui, non malè me collocaturum; quoniam quicquid hoc eſt libelli poſſit aliquando nimis, heu! afflictæ Germaniæ non inutile eſſe, vel ſaltem alios ad illuſtrandā veritatem incitare. Namq; & noſtris hominibus arbitror ſuccurrendum, ne nominis illius Imperii Romani, quo nunc paſſim audit Germania, ancipite ſenſu decepti, ſequius de majeſtate patriæ ſuæ ſuſpicentur: & Romanorum Pontificum inſolentiam retundendam, qui ut poſſeſſionem urbis Romæ ita & jura poſſidendi populo Germaniæ eripere allaborant. Quamquam enim ea ſit hodie Germaniæ miſeria, ut vix ſeſe domi ſuæ tueatur, imò tota ferè abeat in ſolitudinem, tantū abeſt ut de amiſſis alibi recuperandis poſſit hodiè cogitare: etiam tamen nunc operæ eſt pretium illa vetera animo repetere, ne paulatim per hæc mala illorum memoria obliteretur; fortaſſis etiam brevi ærumnis hiſce finem dabit clementiſſimum numen, & ad priſcam gloriam Germania reſurget. Quemcunq; verò

tandem

tandem uſum adferre hic meus labor poſſit, Tuæ illum Celſitudini, Sereniſſime Princeps, dedico conſecroque: non quod dignus ſit qui in tam illuſtrem conſpectum prodeat, ſed quod propter argumenti indolem haud alii quàm magno alicui Germaniæ Principi, quiq; nõ ſtudeat tantùm dignitati priſtinę Imperii, ſed & jura ejus calleat, videatur offerendus. Et verò Celſitudinē Tuam dignitate inter primos eſſe Germaniæ Principes, ſtudio autem publici boni ut & eruditione ac prudentiâ nulli eorum ſecundum; nemo eſt qui ignoret. Ego ſanè nullus dubito, neminem Germaniæ Principum accuratiore cenſurâ, quæ à me dicta ſunt, poſſe dijudicare. Veritus verò haud parum quoq; ſum, ne, cum mei ordinis omnes Dominis ac nutritiis noſtris potiſſimum noſtra debeamus, dum exſpecto donec grande aliquod opus, Celſitudine Tuâ non indignum, ex Artis meæ ſacrariis depromam, nimis longa mora ſuſpectum me faciat neglecti officii. Sed & audaciorem fecit me illa benignitas, quâ non tam id quod offertur quàm offerentis animum ſoles ſpectare. Meum verò, in Celſitudinis Tuæ cultu, poſſum equidem nullo alio inferiorem polliceri. Deum veneror, Sereniſſime Princeps, ut quàm feliciter recuperatâ Regiâ Tuâ Lycopoli annus hic Celſitudini Tuæ defluxit, ita proximus toti Germaniæ vel ſaltem hiſce terris integram ſuam reddat tranquillitatem. Ex Academiâ Iulia X. Cal. Ian. Anno Iↄ Iↄc XLIII.

BENEVOLO LECTORI
S. P.

QVem nunc edo libellum, benevole lector, ad eum conſcribendum invitum me & præter animi ſententiam compulſum eſſe, non diſſimulabo. Artis enim medicæ negotijs occupato mihi parum profectò ſupereſt temporis adeò diverſa ut curem. Sed & ea eſt hodie Germaniæ miſeria, ut de illius priſcis inſtitutis ac juribus cogitare (quod, fateor, ſummam aliquando voluptatem mihi attulit,) non poſſis ſine ingenti animi mœrore. Hic autẽ affectus cum & aliàs perpetuò ferè quemvis bonum Germaniæ civem affligat, refugit profectò mens omne illud, quo ſibi duplicatum iri dolorem præſentit. Cæterùm ex ſententiâ vivere nón licuit mihi hoc tempore, & otio tantùm medico frui, per injuriam inſignem, quæ tamen neſcio vel quo auctore vel ubi illata ſit. Biennium ſcilicet eſt & quod excurrit, quum adoleſcens quidam libellum theſium de Imperatore Romano-Germanico Academiæ hujus examini ſubmitteret, me præſide, ut loquuntur, defendendum. Profeſſus ille apertè erat ſemetipſum autorem ſcripti, nonnulla tantùm meis diſcurſibus deberi, reliqua aliunde eſſe deſumpta. Adjecerat corollaria, partim ad dignitatem Germaniæ facientia, partim ſapientia philoſophiam. Nihilo tamen minùs inventus eſt ſuperiore anno qui libellum iſtum meo nomine evulgaret, titulo præſcripto ſanè inſolente, *Diſcurſus novi de Imperatore*; credo quo pelliceret emptorem, & hedera ſuſpenderetur vino aliàs minùs vendibili: utque lateret fucus, & ſuum & loci ſui nomen diſſimulavit typographus, corollariis aliiſque præſectis. Id ſcriptum cum ante hos ſex menſes in manus meas incideret, obſtupui ſanè eò rediiſſe mores, ut quis tantum facinus fuerit auſus me vivo. Maximè dolui, quòd ſuum lo-

tique ſui nomen ſubticente typographo, libellus raram adeo præ ſe ferens frontem, hac tempeſtate ſequiorem facilè ſuſpicionem movere, & notam famæ meæ poſſit inurere. Graviter profectò momordit me hæc injuria; præſertim quum exemplo fortè careat, nec pro merito queat vindicari. Neque verò ego aliud reſtituendæ in integrum exiſtimationi meæ (illam enim læſam crudo iſto ac ſuppoſititio fœtu non poſſum non credere) remedium potui excogitare, quàm ſi ipſemet argumentum illud ſumerem pertractandum. Ita ego coactus ſum horas, quas proximis hiſce ſeptimanis potui ordinario labori ſuffurari, alienis illis ſtudiis impendere. Neceſſitati igitur obſecundans hunc libellum conſcripſi, ſimulque ut adoleſcentiæ ſcholaſticæ, cui ſanos de republicâ etiam noſtrâ ſenſus à teneris inſtillare hercules oportet, eò rectiùs inſervirem, per partes bis produxi in palæſtram Academicam. Vtinam verò tibi, lector, adeò accepta fuerit libri lectiò, atque mihi moleſta fuit ejus ſcriptio! Certè, ſi quid hinc utilitatis ſperes aliquando in Germaniam noſtram redundaturum, & minus me pœnitebit hujus operæ, & injuriam illam æquiore animò tolerabo. Vale Lector & Fave.

More Academico bis pro hiſce defendendis reſpondit

IOANNES CHRISTIANVS A BOINEBVRG.

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Argumentum quod tractandum eſt proponitur.* pag. 1.

II. *Imperio Romano totum terrarum orbem numquam fuiſſe comprehenſum.* 3.

III. *Nullo olim Iure ad Romanos Imperium totius Orbis pertinuiſſe.* 6.

IV. *Romanum Imperium, exiguâ Italiæ parte exceptâ, poſſeſſione totius penè Occidentis excidiſſe, antequam dignitas eius ad Carolum Magnum eſt delata.* 11.

V. *Iura recuperandi provincias amiſſas Occidentalis Imperii, non ſuperfuiſſe Romanis, quo tempore Carolum Cæſarem dixerunt.* 14

VI. *Quorum in poteſtate fuerint tandem ante Imperium Carolinum Occidentalis Imperii reliquiæ.* 22.

VII. *Per Imperatorium titulum Carolo Magno collatum eſſe hæreditarium dominium Romæ & omnis Patrimonii S. Petri.* 35.

IIX. *Præter illud modo adſtructum dominium aliud nullum ad Francos cum Cæſareo titulo deveniſſe: dignitatis tantum nonnihil pariter eos conſequutos.* 48.

IX. *A Caroli uſq; ad Ottonis M. Imperium ne quidem Italiam Langobardicam aut Germaniam, multo minus alias provincias Tranſalpinas fuiſſe partes Imperii Romani habitas.* 60.

X. *In Ottone Magno per Cæſareum titulum Germaniam accepiſſe Imperium aliquod ſummum perpetuum in Vrbem Romam, Papam, ac Patrimonium Eccleſiæ Romanæ.* 64.

XI. *Præter illud Imperium, & qui hinc ſequitur Primatum, nihil neque dominii neq; Iuris à Romanis Germaniam accepiſſe.* 87.

XII. *Germanicum & Italicum Regnum etſi Romani Imperii appellationem ſuſceperunt, Vrbi tamen Romæ nihil debere, ſed liberas eſſe Reſpublicas; nomenq; illud Imperii Romani aliis de cauſſis utriq; eſſe inditum.* 96

XIII. *Imperii Vrbis Romæ & quæ inde pendent Iura, etſi à Papa omnibus modis ſint convulſa, etiamnum tamen ad Germaniam pertinere.* 111.

CAPVT

CAPVT I.

Argumentum, quod tractandum eſt, proponitur.

MAgnam Italiæ partem, cumprimis verò Germaniæ pleraque, Imperii Romani nomine uſurpari, quique rex eſt Germaniæ atque Italiæ eumdem & Cæſarem audire, nemo eſt qui neſciat. Vnde verò id nominis huc, & quidem huc ſolùm, tranſlatum ſit, porrò quô jure quâve injuriâ id fiat, haud perinde videtur cognitum. Neque enim deſunt qui Romanum Imperium dudum interiiſſe cenſeant, adeoque omnes hoſce titulos inanes eſſe arbitrentur: alij vero Imperium illud nō niſi cum hoc mundo perire poſſe pertendunt; & licet hodiè anguſtis admodum terminis ſit circumſcriptum, ſupereſſe tamen etiamnum Germaniæ atque Italiæ jura integra non tantùm ad recuperanda Imperij veteris amiſſa, verùm etiam ad totum orbem terrarum occupandum. Nonnulli, utut largiantur, quæ dudum amiſſa ſunt, in illa nihil etiam juris amplius cuiquam eſſe, multò minùs univerſi orbis imperium hodiè ulli competere, Germaniám tamen jure optimo non in titulos tantùm, verùm in omnia etiam Romani Imperij jura, ſi quæ ſunt, ſucceſſiſſe. Quæ ſententiæ immane quantum diſſident. Nec tamen de re levi controverſia eſt: ſed de rebus publicis, ſive priſca ſive noſtra videas tempora, omnium clariſſimis & potiſſimis. Namque veteri quidem Romano Imperio nihil olim au-

 guſtius

guſtius fuiſſe certum eſt: Germania quoque citra controverſiam à plurimis ſeculis Chriſtiani orbis princeps habita eſt. Multum etiam refert; num totus orbis hodièque Germaniæ parere jure debeat, perque injuriam regna alia imperium ejus detrectent; an verò Germaniæ jura ejuſmodi nulla competant. Nam ſi prius dixeris, licuerit aliquando armis vindicare quod per injuriam negatur: ſi poſterius, belli nulla cauſſa fuerit. Itaque utrum verum ſit, haud parùm vel ad movendum vel ad tranquillandum terrarum orbem facit. Indubiè igitur operæ facturi pretium ſumus, ſi, quid in adeo diſſidentibus ſententijs aut veri aut falſi inſit, exponamus. Magna enim errorum vis eſt, & ſacer morbus eſt opinio, neque aliud quicquam ita exagitat humanum genus: eoque optima laborantis mundi medicina errorum excuſſio eſt.

Cæterùm in jura Romani Imperij, ſiquod hodie ſupereſt, inquirere haud licet, niſi ante perſpectum habeas, quæ olim Imperij illius, quando illud citra controverſiam adhuc viribus ſuis ſtabat, fuerit ratio. Ita enim demum fiet manifeſtum, in quæ jura ſucceſſerit Germania; ſi ſucceſſit unquam, nec ſine cauſſa hodie id nominis ſibi uſurpat. Initio igitur videndum, quæ terræ aut qui populi olim in ditione fuerint Romanâ, tùm quo jure illi populi Romanis paruerint, numvè aliquod jus illis fuerit in reliquas gentes liberas. Inde porrò inquirendum, quid eorum, quæ olim poſſederunt, amiſerint Romani, numvè ſimul amiſſorum recuperandorum jure exciderint. Hiſce etenim in anteceſſum expoſitis haud ampliùs difficile adeò fuerit propoſitam quæſtionem expedire, & abſtruſæ controverſiæ lucem aliquam commodantes veteris noviq́ue Romani Imperij rationem exponere. Appellamus autem

tem vetus, quale illud fuit ante Carolum Magnum, hoc eſt, ante annum Chriſti octingenteſimum, quo tempore Cæſareo titulo ad Germanos delato nova quaſi cœpit Imperij Romani forma.

CAPVT II.

Imperio Romano totum terrarum orbem nunquam fuiſſe comprehenſum.

TOtum terrarum orbem olim imperio ſuo Romanos continuiſſe, & antehac viri quidam magni aſſeruerunt & nunc etiam nonnulli pertendunt. Et verò adeò id ipſis ſacrarum literarum dictis conſentaneum eſſe nonnullis creditum, ut hæreſeos infamiâ notare haud dubitaverint eos qui diverſum ſentiant. Neq; negari poteſt diſerta eſſe ſanctiſſimi Evangeliſtæ verba: *ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.* Sed & Marcus Tullius ita olim ſcripſit: *Nulla gens eſt quæ non aut ita ſubacta ſit ut vix exſtet; aut ita domita ut quieſcat; aut ita pacata ut victoriâ noſtrâ imperioq; lætetur.* Quin vulgati olim ſermones fuere: *Romam mundi caput, Romanos rerum dominos.* Martialis:

Terrarum Dea gentiumq; Roma.

Petronius Satyrico:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
——Quà mare, quà terra, quà ſidus currit utrumq;.

Nec aliter Græci loquuti ſunt. Dionyſii Halicarnaſſæi verba ſunt L. I. cap. III. *Romanorum urbs toti imperat terræ, quæ quidem non eſt inacceſſa, ſed ab hominibus habitatur. Imperat vero & toti mari, non illi tantùm quod intra Herculis eſt columnas, ſed & ipſi Oceano, quácunq; eſt navigabilis. Prima & ſola earum, quæ ab omni ævo memorantur, Orientem & occaſum*

dominij ſui terminos effecit. Aliquot poſt Dionyſium ſeculis in Ægypto cecinit Claudianus de Româ;

Armorum legumq́, parens, quæ fundit in omnes
Imperium. Item: *parvaq́, à ſede profecta*
Diſperſit cum ſole manus.

Neque verò Cæſares jam tùm Chriſtianiſmo imbuti adeòque ad modeſtiam majorem compoſiti dubitârunt *mundi ſeſe dominos* appellare: quin titulus hic reperitur hodieque in Actis Concilij Chalcedonenſis *act. XI. ac XII.*

Cæterùm vix ſextam partem mundi tunc cogniti intra Imperij Romani ambitum olim fuiſſe, certiſſimum eſt: tantum abeſt Americam, plurimaſque Oceani inſulas, aliaque nuper demùm Europæ cognita illi paruiſſe. Sanè Auguſto imperante ab oriente intra Euphratem, à meridie intra Nili cataractas, deſerta Africæ, & montem Atlantem, ab occidente Oceano, à ſeptemtrione Danubio & Rheno amnibus incluſum fuit. Adjectæ poſtea quidem nonnullæ provinciæ, ut Claudio Cæſare Britannia in ipſo Oceano, Trajano Arabia, Armenia, Meſopotamia, Dacia: verùm ne ſic quidem omnia occupata. Quodque cumprimis hîc meretur expendi, Germania univerſa nunquam vel ad breve tempus Romanis paruit. Ciſrhenana ſola conſtanti imperio à Romanis detenta: Tranſrhenanæ quod ad Albim uſque porrigitur Auguſti Tiberiique auſpicijs ſemel iterumque invaſum quidem, mox tamen iterum in libertatem vindicatum eſt; ſolis Rheno proximis populis, Friſiis, Vſipiis, Tencteris, Iuhonibus, Mattiacis, & his conterminis Alemannis nonnihil diutiùs dominatui Romano ſubditis. Reliquum omne infeſtis armis ne quidem tactum fuit. Quæ multis probare in tantâ literarum luce fuerit ſoli facem mutuari. Itaque inutili labori ſuperſedebimus. Nec

Nec verò quem moverit illud Lucæ Evangeliſtæ, qui ejuſmodi *αὐξήσεις* novit per tum fuiſſe ſacro etiam populo familiares. Eadem ſcilicet loquendi libertate in ſacris codicibus *omnia bona Damaſci* dicuntur varij generis divitiæ ejus urbis. Similia alibi plura reperias paſſim. Eſt verò & certiſſimum, optimam habitabilis orbis partem adeoque florem ipſum totius orbis, Auguſti ævo, Romani Imperij finibus incluſum fuiſſe : ut merito jure potuerit pars illa eximia totius nomine venire, licet verè pars tantum fuerit univerſi. Quo liquet non multum adeò olim à rigido & duro veritatis ſermone receptum paſſim loquendi morem receſſiſſe : utut vero ille non omnimodò congruerit. Neque enim, ſi accuratè loquendum, niſi pars orbis terrarum Romano Imperio unquam occupata eſt. Scilicet ut totius nomine pars potiſſima veniat, vulgaris eſt loquendi conſuetudo. Ac proinde non aliter quoque loquutus eſt ſanctiſſimus Lucas. Neque enim ſacrarum literarum ſermo abit ab eo quod tunc in vulgus ſuetum; habetq; ergò & *αὐξήσεις* ſuas & *μειώσεις*. Sed & familiare ipſis eſt *οἰκουμένης* voce nunc Iudæam, nunc aliam aliquam latè porrectam regionem appellare. Quod obſervans Hieronymus; *Nomen terræ*, inquit, *etiam cum addità particula omnis, reſtringi debet ad eam regionem, de qua ſermo eſt.*

Verum hæc quùm neminem temerè lateant hodiè paulò doctiorum, non eſt quur vel verbulo amplius oſtendamus, quàm ineptè quidam ex illis Evangelij, aliorumque Romanorum verbis, verè totum terrarum orbem dominio Romano paruiſſe aliquando, colligant.

CAPVT III.

Nullo olim jure ad Romanos imperium totius orbis pertinuiſſe.

SEd fortaſſis in omnem mundum occupandi aliquod Ius Romano populo fuit: adeoque per injuriam nonnulli populi imperium ejus olim detrectârunt. Sicut Ariſtidi Rhetori *miſeratione digni* viſi, *qui imperio Romano non ſubjacebant, ut qui bonis maximis deſtituerentur.* At cùm omne jus vel æternum ſit vel poſitivum, atque vel ab ipſo Deo vel ab hominibus profluxerit, nihil autem horum pro univerſali illo dominatu Romano valeat, quid de jure illo ſit ſentiendum manifeſtum eſt. Certè poſitivum ejuſmodi aliquod jus ſive divinum ſive gentium ſive civile nullum reperitur. Non divinum: id enim humano generi non potuit innoteſcere niſi unius Dei revelatione, hic autem nihil hujus nos docuit per Prophetas, per Apoſtolos, per Apoſtolicos viros, quibus ſolis internuncijs uſus eſt. Non gentium: nunquam enim omnes populi in id convenerunt, imò plerique acerrimè Romano Imperio reſtiterunt, nonniſi maximis cladibus domiti: pauci ultrò ſeſe & ſua Romanis dediderunt, aut in eorum ſocietatem cupidè libereque conceſſere. Ne Romanus quidem populus tale aliquod jus condidit: ut nec condere potuit quidquam quod liberos populos extra civitatem ſuam obligaret. Iam ſi quod eſt perpetuum Dei vel naturæ jus, id non niſi ratiocinatione ex firmis ac æternis naturâ notis principijs deductum à nobis intelligitur. Et tamen hoc modo tale Romani populi jus vel veroſimile non poteſt reddi. Nec verò Dantis Aligerij aliorumque argumenta, quibus Imperatori

tori tale jus adſcribere conatur, quia expediat humano generi ſub uno imperio eſſe, ullius ſunt momenti. Vt enim illud fuerit utile, non-ſequitur tamen illud imperium ad Romanos pertinere. Qvur enim hi potius imperent omnibus quam alij? Nec ſola utilitas jus dat imperandi, niſi omnia imperia deteriorum in meliores injuſta ſint. Vt porro etiam humanum genus in verè unam rempublicam coëat, ἀδύνατον eſt. Neque id expedierit illi, quales ſunt res humanæ, quùm ab uno commodè tàm vaſtum ſpacium regi nequeat. Certè Ariſtoteles, vir, ſiquis alius, πολιτικώτατος, intra anguſtos limites beatam rempublicam coërcet: tantum abeſt ut totum mundum crediderit feliciter ad unum ſceptrum adſtringi. Et verò ut navis cujuſque aliarumque rerum: ſic & civitatis certa eſt magnitudo, quam ſi excedat non amplius id eſſe pôteſt quod debebat. Ipſe ſanctiſſimus vir Auguſtinus *L. IV. de civ. Dei. cap. XV.* affirmat *feliciores futuras res humanas, ſi omnia regna parva eſſent, concordi vicinitate lætantia.* Habent magna imperia ſuos uſus, at quę totidem imò pluribus longè damnis compenſentur. Ipſum illud Romanum Imperium *magnitudine ſuâ laboráſſe* cenſuit Titus Livius, prudentiſſimus vir. Nec aliò fortè ſpectavit Auguſti conſilium *coercendi intra terminos Imperij:* utut Tacito *incertum* viſum *metu an per invidiam*, ita ſit judicatum. Non potuit verò natura imperium in omnes tribuiſſe Romanis, ſi & illa parvitas oneri fuit. Verùm hac de re operosè agere non eſt hujus inſtituti. Abunde enim etiam ſic liquet non æterna naturæ lege, non arbitrariâ vel Numinis cœleſtis vel gentium omnium conſtitutione Romano populo in omnem mundum quidquã juris eſſe conceſſum.

Iiſdem verò argumentis probare licet haud difficulter, nullâ

nullâ tali lege Romanos præ alijs populis in occupanda vel minima terræ parte ſingulare aliquod jus habuiſſe. Neque enim ex ſacris literis conſtat nobis quidquam de divino aliquo tali inſtituto: neq; hiſtoriẹ nobis produnt gentium omniũ ejuſmodi quẽ conſenſum: neq; licet firmis rationibus ex naturæ principijs arceſſitis iſtiuſmodi quid perſuadere.

Habemus vero hîc & confitentes ipſoſmet Romanos: nullibi enim legas alios titulos aut alia jura imperio ſuo unquam prætexuiſſe quàm quibus aliàs vulgò acquiritur aliquid aut poſſidetur, jus ſcilicet belli, fœdus, donationem, derelicti occupationem, ac id genus alia. Certè ſibi divinitùs aliquid præ alijs datum nunquã præ ſe tulerunt: quale quid tamen à Muhammede falsò jactitatũ, Hebræis verò olim in ea quæ ab Ægyptijs commodato acceperant & Cananæorum terram verè fuiſſe conceſſum notum eſt, de Tartaris narrat Haithonus *c. XVI. & XVII.* de Mexicanis Ioſephus Acoſta *hiſtor. Americanâ l. VII.* de alijs gentibus ab alijs memoratur. Apud Salluſtium Mithridates cauſſas bellorum Romanorum his verbis perſtringit: *Romani arma in omnes habent, in eos acerrimè, quibus victis ſpolia maxima ſunt.* Item: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una & vetus bellandi cauſſa eſt, cupido profunda imperij & divitiarum.* Galgacus apud Tacitum: *Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur. Si locuples eſt hoſtis, avari; ſi pauper, ambitioſi; quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit.* Verum hæ voces ut hoſtiles minùs fortè merentur fidem: neque verò probaverim illud Carneadis, quod ex Cicerone refert Lactantius *l. V. inſtitut. c. XVII.* ſi juſtitia ſit obſervanda Romanis ad caſas redeundum fuiſſe: ne ipſi tamen Romani omnia ſua bella juſtis de cauſſis ſuſcepta eſſe auſi olim ſunt prædicare. De Sardinia Cartha-

Carthaginienſibus ereptâ, contra quam convenerat, jam olim conqueſtus eſt Polybius, gravis ſcriptor & qui in Romanis caſtris vixit. Cypri occupatæ iniquitatem improbant ſummopere Cicero *pro domo ſuâ* & Ammianus Marcellinus *L. XIV.* De Corintho excisâ idem Cicero *l. III. de offic. Vtilitatis ſpecie in republica ſæpiſſimè peccatur, ut in Corinthi deturbatione noſtri.* Alibi tamen ejuſdem verba ſunt: *noſter populus ſociis defendendis terrarum omnium potitus eſt.* Et vero olim famam juſtitiæ præ alijs Romani obtinuerunt, certè affectarunt. Hinc Rhodij apud Livium *L. XLV. Certè quidem vos eſtis Romani, qui ideò felicia eſſe bella veſtra, quia juſta ſint, præ vobis fertis, nec tàm exitu eorum, quod vincatis, quàm principijs quod non ſine cauſſa ſuſcipiatis, gloriamini.* Rutilij Tauri ÆEmiliani verſus eſt notiſſimus de Roma:

Juſtis bellorum cauſſis, nec pace ſuperbâ
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

Dionyſius Halicarnaſſæus religionem Romanorum deprædicat, quâ Græci ſui caruerint. Nam *omnium*, ait, *bellorum initia & cauſſas apparebit juſtas fuiſſe; atque ideò Deos meritò propitios ſenſiſſe & faventes.* Neque negari poteſt jure id in Romanis laudandum, quod belli indictionem fecialibus, id eſt, ſacerdotibus, non ſoli populo profano, commiſerint. Vt autem hæc omnia ſint vera, juſtiſſimis ſcilicet cauſſis bella omnia à Romanis ſuſcepta; (quod tamen in univerſum non eſſe verum ipſorum confeſſione ante docuimus) verum tamen eſt non aliud jus Romanos prætexuiſſe ulli bellorum ſuorum, quàm quod omnibus populis eſt commune. De ipſo feciali jure Cicero *l. I. de officiis* ſcribit: *belli quidem æquitas ſanctiſſimo feciali populi Romani jure perſcripta eſt; ex quo intelligi poteſt nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut reb⁹ repetitis geratur, aut denunciatũ antè ſit & indictũ.* Sed hæc clara ſunt, niſi fallimur. B Id

Id verò cumprimis notandum hoc loco ducimus: quæ finibus Romani Imperij olim fuere incluſa diverſo admodum varioque titulo ad illud pertinuiſſe. Fuerunt ſcil. alij verè ſubditi atq; in provinciam redacti, alij amici, alij ſocij, alij aliter fœderati; magnus quoque numerus extitit coloniarum & municipiorum. Ex unius Plinij *lib.* III. IV. V. VI. *naturalis hiſtoriæ* abundè id diſcere eſt: ut alios teſtes laudare non ſit neceſſum. Singulatim quæ Italiæ populorum urbiúmque fuerit tùm ratio, præclarè docuit Carolus Sigonius eximio opere *de antiquo jure Italiæ.* Ne Germani quidem omnes Ciſrhenani pari fuêre conditione. Vbij enim *Romana colonia eſſe meruerunt*, ut verbis utar Taciti; qui de Batavis ſcribit: *manet honos & antiquæ ſocietatis inſigne.* Socij itaq; Romanorum fuere Batavi, non ſubditi: quod egregiè ut omnia illuſtrat Hugo Grotius *L. de antiquit. reipubl. Batav. c. II. Non in alio obſequio*, eodem Tacito teſte, *trans Rhenum fuere Mattiaci, etſi & hi pars habitû imperij Romani.* Ammiani Marcellini L. XV. verba ſunt: *Prima Germania, ubi præter alia municipia Moguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus.* Quædam itaque & Ciſrhenanæ Germaniæ urbes municipiorum libertate ſunt uſæ, quæ qualis fuerit docet Gellius *l. XVI. noct. Atticar. c. XVI.* Non diffitemur Romanos, ſocietatis fœderumque juribus violatis, ſæpè ſocios ſuos pari cum ſubditis loco habuiſſe. Et verò hanc injuriam queſti olim Batavi apud Tacitum *l. V. Hiſtoriæ: neque enim ſocietatem, ut olim, ſed velut mancipia haberi:* & Latini apud Halicarnaſſ. *L. VI. ſub umbrâ fœderis Romani ſervitutem ſe pati.* Rhodiorum, AEtolorum, Achæorum, Theſſalorum, Magnetum ſimiles querelas alibi reperias. Ipſe Salluſtius bello Catilinario fatetur *civitatem immutatam: imperium ex juſtiſſimo atque optumo*

crudele

crudele intolerandumq; factum. Hi, addit, *ignaviſſimi homines per ſummum ſcelus omnia & ſociis ademère, quæ fortiſſimi viri victores hoſtibus reliquerunt: perinde quaſi injuriam facere id demum eſſet imperio uti.* Verùm non eſt hujus loci hæc latè exponere: ſatis liquet Romanos non alijs titulis aut alijs juribus in occupandis aut poſſidendis rebus uſos quàm vulgò receptis & uſitatis; adeoque nihil juris eos habuiſſe ad totius mundi imperium occupandum.

CAPVT IV.

Romanum Imperium, exiguâ Italiæ parte exceptâ, poſſeſſione totiûs penè occidentis excidiſſe antequàm dignitas ejus ad Carolum M. eſt delata.

Videndum deinceps numquid eorum quæ poſſederunt Romani perdiderint. Et quidem quùm in illorum poteſtate fuerint non ipſæ tantùm provinciæ variæ ſed & jus eas poſſidendi; ſeorſim conſiderandum, an cum poſſeſſione & ipſo poſſidendi jure tandem exciderint. Adprimè verò videndum quemadmodum hæc ſeſe habuerint eo tempore quo ad Francos Cæſarea occidentalis Imperij dignitas pervenit.

Cæterùm occidentalis quidem Imperij (nam de uno illo nunc agere tempeſtivum eſt) plæraque jam Honorij & Valentiniani III. Cæſarum ætate à Germanicis gentibus, hactenus Danubio & Rheno ſeclusis, occupata eſſe notius eſt quàm ut longâ opus ſit probatione; ut neque patitur inſtitutum in cauſſas illius excidij accuratiùs inquirere: utrum ſcilicet tanti mali cauſſa illi per Conſtantinum M. inſtitutæ Imperij diviſioni; quâ ille, teſte Zoſimo, Rheni &

Danubijripas quindecim legionum præſidio nudavit & quod unitum firmum erat diviſum in duo reddidit imbecille: an ſocordiæ ſucceſſorum Theodoſij: an denique potiùs fatali cuidam numinis indignationi ſit adſcribenda. Quicquid verò in cauſſa fuerit, id certum eſt, illâ tempeſtate non totis quinquaginta annis periiſſe Romanis pœnè mille annorum labores, quos acquirendis ijs inſumpſerũt. Ita ſanè Hiſpania Vandalis, Viſigothis, ac Suevis; Gallia Francis ac Burgundis; Britannia Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis; Vindelicium ac Noricum ut & Rhætiæ potiſſima Bajoarijs atque Alemannis; Pannonia poſt alios Hunnis ac demum Hungaris, ceſſerunt.

Ne ipſa quidem Italia in ditione Romani populi permanſit. Per Viſigothorũ enim Vandalorumq; incurſiones ſummè debilitatam primùm Heruli, mox Oſtrogothi inſederunt. Atque horum quidem ea vis fuit ut, ipsâ Vrbe Roma cum omnibus Italiæ partibus occupatâ, novum quoddam Italiæ regnum quod adpellabant condiderint, Imperij Romani per ipſam Italiam nomine penitus abolito & ſublatis inſignibus. Neque verò Reges illi Oſtrogothici alio titulo quàm Italiæ regum uſi ſunt, ab inſignibus etiam Romanis prorſus abſtinuerunt: quod ex ejus ævi ſcriptoribus & monumentis hodieque ſuperſtitibus notiſſimũ eſt. Hinc Iornandes Gothus *l. de regnor. ſucceſſ.* ubi de Odoacro dixiſſet & Auguſtulo: *Sic Heſperium regnum, Romaniq. populi Principatum, quod DCCIX. V. C. anno primus Augustorum Octavianus Auguſtus tenere cœpit, cum hoc Auguſtulo periit: Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.* Iiſdem verbis utitur Marcellinus Comes *in chron. indict. XIV.* Baronius *ad annũ CCCCLXXVI. n. 1. Imperium Occidentale collapſum eſt penitus & devolutum ad Barbaros.* Hic ſtatus Italiæ fuit ab anno Chri-

ſtiano

ſtiano CCCCLXXVI. uſque ad CCCCCXL circiter: quo tempore Iuſtinianus per Belliſarium cœpit Gothis Italiam eripere rurſùm & Romano Imperio, cujus vis & majeſtas in Oriente ſupererat, reſtituere. Inde nutavit Italiæ poſſeſſio per annos duodecim inter Gothos & Romanos: nec his quoque poſt Gothos exciſos integrè reddita eſt, niſi annis quindecim. Ex eo verò, ſi modò unquam, certè non ante indeptum à Francis Cæſareum titulum unquam, Italia omnis in Romani Imperij aut ditionem aut nomen pervenit. Langobardi enim, Germanica gens, ſed quæ aliquandiu Pannoniam tenuerat, à Narſete invitati Italiam penè omnem, pulſis Cæſarum præſidijs, ſui juris fecerunt. Nec enim Græcis Cæſaribus quicquam in Italia paruit amplius quàm Roma ipſa ejuſque pomeria, Pentapolis, Exarchatus Ravennatenſis propriè ſic dictus, urbſq; Venetiarum. Etiam horum verò tandem pleraque ultimis Langobardorũ Regibus ceſſerunt. Vt nihil ad extremum in Italiâ remanſerit Romanæ poſſeſſionis præter duas urbes Romam & Venetias. Et verò Langobardici Regni temporibus tantùm exiguæ illæ Italiæ partes retinuerunt Romani Imperij nomen: reliqua omnia Langobardici regni titulo venerunt, quorum ſcilicet erant in poteſtate. Reſtituit populo Romano aut Pontifici, pulſis viciſſim Langobardis, Pipinus Francorum Rex Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli. Ejus filius Carolus, cognomento Magnus, devicto Deſiderio Langobardorum Rege, anno DCCLXXIV, nihil quoque aliud (vel certè parum, ſi credimus ijs quæ habentur apud Anaſtaſium in vitâ Hadriani & qui illa exſcripſit Baronio ad annum DCCLXXIV) eorum, quæ Langobardi hactenus tenuerant, Romanis reddidit, omnibus alijs in ſuam ditionem tranſcriptis. Et verò ille ex eo tempore

non minus Langobardorum quàm Francorum rex dictus eſt. Ne Orientales quidem Cæſares quidquam Italiæ recuperarunt illâ tempeſtate, niſi quod Beneventanum Ducatum atque ultima Calabriæ in ſuum patrocinium ſuſceperint.

Hæc omnia uſque adeò certa atque ex hiſtorijs in vulgus ſunt cognita, ut adductis teſtimonijs illa probare fuerit hominis otio ſuo abutentis & orbem omnem non tolerandæ inſcitiæ arguentis. Sole verò hinc clarius eluceſcit, anno octingenteſimo, quo Cæſareus titulus ad Francos pervenit, nihil tranſalpinum, exiguam verò admodum Italiæ partem in Romanorum poteſtate, adeoque Romanum Imperium Occidentale limitibus peranguſtis tùm fuiſſe circumſcriptum.

CAPVT V.

Iura recuperandi provincias amiſſas Occidentalis Imperii, non ſuperfuiſſe Romanis, quo tempore Carolum Cæſarem dixerunt.

QVin poſſeſſione itaque totius penè Occidentis Romani tandem exciderint, nullum eſt dubium: an verò ſimul & juribus exciderint, eam per occaſionem recuperandi, haud æquè fortè eſt manifeſtum.

Quin amittere & illa potuerint nemo dubitaverit qui norit jura illa, quibus ſua tenuere, non fuiſſe alterius ordinis quàm quibus alij populi ſua poſſident: quæ amiſſibilia eſſe certum eſt. Verè autem & amiſſa illa eſſe patebit, ſi quaſi certum poſitum ſit, regna quoque uſucapi & longo tempore præſcribi haud aliter atque alias res viliores,

nec

nec minus ex ſignis etiam poſſe præſumi factam derelictionem. Enimverò non ijs poſſumus accedere, quos inter eſt &Ferdinandus Vaſquez, vir profectò doctiſſimus & ingenij acutiſſimi, Hiſpanicæ Iuriſprudentiæ decus, qui omnem uſucapionis præſcriptioniſque vim & auctoritatem ex uno civili poſitivo jure manare autumant, eoque ad libera regna non pertinere acriter contendunt. Vt enim veriſſimũ eſt, unius civitatis poſitivas leges non aſtringere reſpublicas liberas, adeoque ferendum minimè eſt, ut omnium populorum controverſiæ ad amuſſim legum Romanarum quarumlibet etiam poſitivarum examinentur: ita videntur uſucapionis atque præſcriptionis quædam jura ab ipsâ naturâ conſtituta. Neque enim tantùm civitatis alicujus; ſed & humanæ omnis ſocietatis intereſt, *ne quarundam rerũ diu & ferè ſemper incerta dominia ſint, & ut aliquis litium ſit finis*; quod præſtare uſucapio poteſt, ut rectè ſcribitur *l. 1. ff. de Vſurpationibus & Vſucapionibus*. Multò maximi verò refert, ut controverſiæ de regnis & provinciarum poſſeſſionibus, quoad fieri poteſt, ſopiantur: quibus nullæ aliæ potiores ſunt movendo orbi & publicæ tranquillitati perturbandæ. Atqui ſine quo ſalus ſua non conſtat mundo aut pax humano generi, illud indubiè ipſa natura diligentiſſimè vult obſervatum. Hinc ſanè apud omnes gentes confeſſum, poſſeſſiones publicas non minus qnàm privatas multo tempore ita firmari ut revelli nequeant; quod multis teſtimonijs, interq; ea ipſius Iephthis, præclarè docet Hugo Grotius *l. 2. de jure belli ac pacis c. 4. n. 11. & in annotatis.*

Vt igitur fortè non juſto titulo primùm Galliam Burgundi & Franci, Hiſpaniam Gothi Suevi Vandali, Pannoniam Vindelicium & Noricum Hunni Bajoarij & Ale-

Alemanni, Britanniam Saxones & Angli tenuerint: longâ tamen & quieta poſſeſſione jam ſeculi noni initio, quo tempore ad Carolum Magnum Cæſareum nomen eſt delatum, omnes haſce gentes uſu cepiſſe provincias occupatas dicendum eſt. Scilicet jam per trecentos quinquaginta circiter annos duraverat tùm poſſeſſio illa: cùm Iephtes ad Ammonitarum Regem iniquæ vindicationis olim ablatâ accuſandum trecentorum annorum poſſeſſionem ſufficere judicaverit. Neque verò ſimpliciter verum eſt illud quod dicitur; *quæ ab initio non valent ex poſt facto convaleſcere non poſſe:* ſed tùm demùm, ſi cauſa nova jus per ſe idonea gignere non acceſſerit. Tanti autem temporis præſcriptione acceſſit utiq; novū jus maximū & longè æquiſſimū. Nec tamen dixerim omnes illos Germanicos populos nihil habuiſſe juris ad occupandas provincias. Nam ſi quod jus eſt victorum in hoſtes & illorum bona, utique & Germanicis hiſce populis non defuit jus ſibi vindicandi, Romanis, infenſiſſimis ſuis & perpetuis hoſtibus, per victoriam erepta. Certè minore juris ſpecie Romani plæraque ſua acquiſivere; ſi verū fatendum eſt. Porrò & id certum, Britanniam ultrò à Romanis derelictam: Galliam verò VViſigothis inhabitandam conceſſam eſſe. Omnes vero illas quas dixi provincias à Romanis pro derelicto habitas eſſe, multis ſanè ſignis colligere eſt. Neque enim tanto temporis intervallo vel verbis vel factis illas ſibi repetierunt: quin poſt illas provincias jam magnam partem occupatas cum Francis ac Viſigothis non unum fœdus inierunt: quale profectò fuit inſigne illud contra Attilam: quo in bello niſi Franci & Viſigothi à Romanis partibus ſtetiſſent, nihil fortè illius imperij manſiſſet tùm reliquum. De Clodoveco Magno, Francorum in Gallijs rege potentiſſimo; ſcribit Gregorius

Turo-

Turonenſis *l. II. c. XXXIIX.* illum ab Anaſtaſio Cæſare codicillos de conſulatu accepiſſe, *eumq; ab ea die tanquam Conſulem & Auguſtum eſſe vocitatum.* De Langobardis Pannoniam incolentibus Paulus Diaconus Hiſt. miſc. lib. XVI. c. XIX. & Hiſt. Langobard. *l. II. c. I. omni tempore quo Langobardi poſſederunt Pannonias Romanæ Reipubl. adverſus æmulos adiutores fuerunt.* Vnde colligitur jam tum provincias illas, novis illis dominis atque occupatoribus Romanos quaſi ultrò conceſſiſſe. Nam qui contrahit cum poſſeſſore rei, ut ipſa illa re is utatur, is rei illius poſſeſſionem alterius eſſe tacitè confitetur: contrahit ſiquidem cum illo tanquam cum domino illius rei. Habet, certè hoc locum etiam inter populos liberos, nec tàm jure civili valet quàm naturali: ut rectè docet Grotius, vir ſummus, *l. II. de Iur. bell. ac pac. cap. IV. §. IV.*

De una Italia fortaſſis aliter ſeſe res habet: quoniam inter Langobardos & Cæſares Populumq; Romanum perpetua penè fuerunt bella. Langobardi enim non videntur unquam in quietâ Italiæ poſſeſſione fuiſſe. Langobardi inquam: Oſtrogothorum enim alia ratio fuit. De Theoderico ſanè, qui pulſo Odoacro princeps Oſtrogothorum Italiæ regnum inſtituit, in hæc verba *libello de regnor. ſucceſſ.* Iornandes: *Theodericus Zenonis Auguſti pellectus humanitate Conſtantinopolin venit, ubi magiſter militum ſtatim effectus, Conſulis Ordinarij triumphum ex publico dono peregit. Sed quùm tunc Odoacer regnum Italiæ occupaſſet, Zenon Imperator cernens jam gentes patriam illam poſſidere, maluit Theoderico, ac ſi proprio jam clienti, eam committi, quàm illi quem nec noverat. Secumq; ita deliberans ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi populum ſenatumq; commendat: ovanſq; rex gentium & Conſul Romanus Theodericus in Italiam petit.* Idem *l. de rebus Geticis* Theode-

ericum inducit à Zenone petentem donari ſibi Italiam: *expedit namq́, ut ego, ſi vicero, vobis donantibus regnum illud poſſideam:* Item: *ego enim ſi vicero, veſtro dono veſtroq́ munere poſſidebo.* Paulus Diaconus *hiſtor. miſcell. l. XV. c. VII.* ſcribit Theodericum Romæ *conſenſu Zenonis* Auguſti regnâſſe, Zenonemque poſtulatis ejus annuiſſe. Idem Iornandes nos docet Iuſtinianum bello ſuo Gothico non aliam cauſſam prætexuiſſe quàm Amalesuenthæ reginæ, quæ fidei ejus ſe commiſerat, indignam necem. Vide ſis qui dubitas *l. de rebus Goth. cap. LX.* & *libro de regnorum ſucceſſione cap. CXIII.* Quibus cum conſentit Procopius, Græcus ætatis illius ſcriptor, *in Gothicis.*

De Oſtrogothis igitur res certa eſt, haud invitis Romanis Italiæ illos imperâſſe. Cum Langobardis verò plurima quidem geſta bella, ſed & pax cum ijs tanquam Italiæ poſſeſſoribus haud ſemel eſt inita, quaſi certamen fuerit tantum de finibus, non autem de regno integro. Agilulphum regem cum Gregorio Magno & Romanis *pacem firmiſſimam* iniiſſe ſcribit Paulus VVarnefridus *l. IV. de geſtis Langobardorum c. IIX.* adductis in eam rem Gregorij literis. Vbi obiter notandum, hunc Gregorium adeò fuiſſe à cædibus, & bellis alienum, ut non dubitaverit ſcribere ad Mauricij Cæſaris Apocriſiarium: *Vnum eſt quod breviter ſuggeras Sereniſſimis Dominis noſtris: quod ſi ego ſervus eorum in mortem Langobardorum me miſcere voluiſſem, hodiè Langobardorum gens nec regem nec duces nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quià DEVM timeo, in mortē cujuslibet hominis me miſcere formido.* A quâ morum innocentia quantum diſceſſerint Papæ exundans ſanguine ſuo Italia hodieque experitur. Verùm hoc obiter. Recitat autem VVarnefridus idem, ſimiles pacis conventiones inter

Exar-

Exarchos & Langobardos initas plurimas, quarum conditiones etſi haud recitat, ſatis tamen ſignificat verum eſſe quod diximus, tandem de totius Italiæ poſſeſſione nullam controverſiam fuiſſe.

Idipſum maximè liquet ex ijs quæ Pipinus & Carolus Magnus in Italia geſſerunt. Neque enim per illos quidquam Romani reddi ſibi petierunt, quaſi per vim à Langobardis ereptum, præter vicina quædam caſtra, Exarchatum Ravennæ & Æmiliæ nonnulla oppida. Narrat id diſertè Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Papæ Stephani. Ipſius illius Papæ ſub S. Petri nomine (majore vanitate incertum an impietate) fictas & ad Pipinum miſſas literas ex latebris Vaticanæ Bibliothecæ deprompſit & ad annum DCCLV Annalibus ſuis inſeruit Baronius: quæ itidem nihil aliud reſtitui poſtulant. Sed nec aliud per Pipinum Aiſtolpho Langobardorum regi eſt ereptum. Diſertè Annales Francici: *Pipinus redditam ſibi Ravennam & Pentapolin & omnem Exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* Nec Anaſtaſius enumerans urbes omnes à Pipino reſtitutas præter has ipſas habet ullam. Plura quidem donata narrat Leo *Hiſtor. Caſſinenſis L. II. cap. VII.* quem ſequi maluit Baronius: verùm huic recentiori ſcriptori majorem fidem quàm ipſi Anaſtaſio Bibliothecario deberi, haud profectò temerè cui probabitur niſi quem curiæ Pontificiæ amor excœcavit: utque vera ſint quæ ille habet, patet tamen ſatis, nec Romanos reddi ſibi petiiſſe omnem Italiam, nec Pipinum niſi pauca ejus injuſtè a Langobardis eſſe occupata, exiſtimaſſe. Ne Conſtantinopolitani quidem Cæſares niſi hanc exiguam Italiæ portionem à Pipino ſibi poſtularunt: ceu patet ex ijs, quæ poſt alios narrat Baronius ad annum DCCLIII. Porrò etiam hoc longe eſt veriſſimum, i-

pſum quoque Carolum Magnum deſtructo Langobardorum regno neutiquam illam potiorem Italiæ partem vel populo Romano vel ejus Pontifici vel Cæſari Conſtantinopolitano conceſſiſſe; neque vel populum illum vel Pontificem vel Cæſarem poſtulaſſe eam ſibi reſtitui, ſed in Francorum ditionem eam omnem terram perveniſſe. Certè ejus poſtulati nulla reperitur memoria, multò minus hujuſmodi alicujus conceſſionis. Contrà teſtantur hiſtoriæ, Carolum Magnum ſtatim à devicto Deſiderio regnum Langobardorum omne, quaſi jure belli occupatum, adminiſtraſſe. Hinc Annales Francorum anno ɪↄ ᴄᴄʟxxɪᴠ: *Rex Carolus ſubactâ & pro tempore ordinatâ Italia in Franciam revertitur.* Poëtaſter anonymus antiquus *l. 1. Annal:*

> *Dedita tùm Francis hæc urbs clariſſima* (Papia ſcil.) *cunctis*
> *Exemplo fuerat reliquis. Nam protinus omnes*
> *Tradiderunt Carolo ſeſe concorditer urbes*
> *Ejuſdem regni: quod jam ſibi jure ſubactum*
> *Diſpoſuit, quantum potuit pro tempore tali.*

Iidem Annales ut & ille Poëtaſter memorant anno ɪↄ ᴄᴄʟxxᴠɪ. Rotgaudum Forojulienſibus Ducem à Carolo datum defeciſſe; ſed illô devicto provinciam iſtam Francorum Comitibus traditam. Anno item ɪↄ ᴄᴄʟxxɪx Ducem Spoletanum in ducatu ſuo confirmatum. Iidem memorant anno ʟxxxɪ Pipinum filium Caroli Regem Langobardiæ eſſe conſtitutum. Verba eorundem, memoratu digna ſunt anno ɪↄ ᴄᴄʟxxxᴠɪ: *Rex ſtatuit Romam proficiſci & partem Italiæ, in qua Beneventum ſitum eſt aggredi: conveniens eſſe arbitratus ut illius regni reſiduam portionem, ſuæ poteſtati ſubiiceret, cuius caput capto Deſiderio rege, majoremq́; partem in Langobardia jam ſubacta, tenebat.* Teſtantur vero ijdem etiam, Beneventanum ducatum Carolo tunc ceſſiſſe & quidem Adriani Pontificis conſilio.

filio. Mitto alia teſtimonia: ne videar ſoli lucem fœneraturus. Id non poſſum non adducere, Carolum ſtatim à capto Deſiderio ſe ipſum regem Francorum & Langobardorum adpellaſſe. Recitat ejus Epiſtolam ad Albinum anno IↃ CCLXXIIX, item privilegium conceſſum monaſterio Pariſienſi S. Vincentij anno IↃ CCLXXII, hoc titulo ornatum, Baronius. Ipſe Adrianus Papa hoc titulo Carolum laudat longâ illâ epiſtolâ ad Conſtantinum & Irenen perſcriptâ, quam ex actis Concilij Nicæni ſecundi recitat idem Baronius ad annum IↃ CCLXXXV. Ex quibus perſpicuum eſt, totum Langobardorum regnum tenuiſſe Carolum & quidem nullius beneficio, ſed ſuo gladio acquiſitum; neque in illud vel Populum Romanum vel Pontificem vel denique Cæſarem Conſtantinopolitanum quicquam amplius ſibi juris arrogaſſe. Et poſtremum quidem eo confirmatur, quod, ſi credimus Baronio, Irene Imperatrix ruperit anno IↃ CCLXXXIIX ſponſalia inter Conſtantinũ & filiam Caroli contracta, quoniam Carolus Ducatum Beneventanum invaſiſſet, quem in ſuum patrocinium Orientales Imperatores ſuſceperant. De toto ſcilicet Langobardico regno mota lis nulla fuit.

Ad hunc modum quæ Langobardi occuparant poſſederat Carolus ab anno DCCLXXIV, hoc eſt, penè per triginta jam annos, quando Cæſar dictus eſt. Vnde liquet, tunc temporis neque Romanos aut Pontificem quicquam juris ampliùs in illud Langobardicum regnum ſibi tribuiſſe, ſed pro derelicto habuiſſe: neque Carolum ipſum, religioſiſſimum Principem, Romani aut Pontificis aut populi aut Cæſaris jus aliquod in provincias illas Italiæ agnoviſſe. Adeoque & id jam conſtat, eâ tempeſtate ad Romanum Imperium occidentale ne jure quidem pertinu-

iſſe quicquam, non tantùm Tranſalpinum ſed ne Ciſalpinum quidem; ſi excipias pauca illa Italiæ ſæpiùs jam memorata.

CAPUT VI.

Quorumnam in poteſtate fuerint tandem ante Imperium Carolinum Occidentalis Imperij reliquiæ.

ANtea quam pergamus, fortaſſis haud abs re fuerit, ſi expoſuerimus quorumnam in poteſtate ultimis illis temporibus fuerint illæ Occidentalis Imperij in Italia reliquiæ. Sanè dabit hoc lumen paulò poſt dicendis ſatis inſigne.

Omnia illa in poteſtate fuiſſe Cæſarum Orientalium uſque ad rebellionem illam ſolennem adverſus Leonem Iſaurum, certum eſt. Per rebellionem autem illam quid primò effectum ſit & quo auctore illa cœperit ſcribit in hæc verba Zonaras: *Gregorius qui tùm Romæ veteris eccleſiam gubernabat, repudiatâ ſocietate Præſidis novæ Romæ, nec non eorum qui illum ſequerentur, illos unà cum Imperatore ſynodico anathemate obſtrinxit & vectigalia, quæ ad id uſq; tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cùm Francis fœdere.* Theophanes vel auctor Hiſtoriæ miſcellæ: *cùm didiciſſet Gregorius Papa Romanus de imaginibus ſacris Leonis errorem, tributa Romanæ urbis prohibuit & Italiæ.* Etiam alios Græcos ſcriptores rebellionem hanc Papæ auctori tribuere, fatetur Baronius ad ann. ıↄ ccxxvi. vult autem illi injuriam inferri; hunc enim rebellionem illam quoad potuit inhibuiſſe. Nec fortaſſis malè. Cæterùm poſt rebellionem illam populos iſtos nullum alium dominum voluiſſe agnoſcere, ne Papam quidem, patet vel inde quod ſibi ipſi Imperatorem

creare

creare voluerint. Diſertè Paulus VVarnefridus hiſt. Langobardor. *lib. V. c. XLIX. Omnis Ravennæ exercitus vel Venetiarum talibus juſsis* (Leonis Cæſaris de exturbandis imaginibus) *uno animo reſiſtunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.* Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Gregorij II. *Cogente Imperatoris nequitie, omnis Italia conſilium iniit ut ſibi Imperatorem eligerent & ducerent Conſtantinopolim; ſed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis.* Paulò ante dixerat: *Paulum Exarchum anathemati ſubmittunt*, (omnes Pentapolenſes & Venetiarum exercitus) *ſpernentes ordinationem ejus, ſibiq; omnes ubique in Italia Duces elegerunt: atque ſic de Pontificis atque SVA immunitate cuncti ſtudebant.* Ita ſanè habet editio Moguntina vel Buſæi: nã quæ Baronius narrat ex Anaſtaſio per ſunt mendoſa, nec aliquẽ commodũ ſenſum præ ſe ferunt.

Vnde patet, ipſam quoque Romam tandem liberam ſe exiſtimâſſe & Ducem aliquem ſibi elegiſſe, qualis ſcilicet ante Conſtantinopoli mitti ſolitus. Nam quod tota Italia illa inſtituit, proculdubio nec Roma neglexit, utpote quæ non erat utique inferiore reliquis conditione. Baronius tamen de Baſilio Duce ſcribit *l. c. Quod verò vidiſti Baſilium Ducem detruſum in monaſterium illic vitam finiiſſe: ſcias hunc Ducum illorum, qui ab Imperatoribus Romam mitti ſolerent ad juvandam urbem & ad eam ſpectantes civitates, fuiſſe noviſſimum, defuiſſeq; penitus Duces Vrbis, curamq; omnem in omnibus recidiſſe in ſummum Pontificem.* Sed ut illud, Baſilium ultimum fuiſſe Ducum ab Imperatore miſſorum, crediderimus, nullos tamen poſt illum fuiſſe Romæ Duces & omnia in Pontificis poteſtatem perveniſſe nequaquam eſt verum. Quin ipſe Anaſtaſius Petri Ducis Romani diſertè meminit in ipſâmet illâ vita Gregorij ſecundi: *Poſt hoc* (Romani) *& Petrum*

trum Ducem, dicentes contra Pontificem Imperatori ſcripſiſſe, turbaverunt. Idem ſcribit quidem omnes Romanos juramento ſe aſtrinxiſſe, nō permiſſuros ſeſe cædem illius Papæ; at ſeſe Papæ ſubjeciſſe non tradit. Imò diſertè teſtatur Romā illo quidem Pontifice Gregorio II à Conſtantinopolitani Cæſaris reverentiâ non omnimodò deſciviſſe: Gregorium ipſum rogaſſe Romanos: *ne deſiſterent ab amore vel ſide Romani Imperij:* Exarchum Euthychium Romæ vixiſſe: cumque Petaſius quidam *regnum Romani Imperii uſurpare conaretur*, illum civium Romanorum auxilio cæſum, capite Conſtantinopolim miſſo. Idem Anaſtaſius in vita Gregorij III narrat Eutychium Exarchum Papæ conceſſiſſe *columnas onychinas ſex*; atque etiam tùm *cunctam generalitatem provinciæ Italiæ litteras ſupplices* pro erigendis imaginibus Conſtantinopolim miſiſſe. In vita Zachariæ mentio fit Ducis Romani Stephani: item villarum duarum quæ juris publici fuerint, ſed eccleſiæ Romanæ donatæ à Conſtantino Copronymo Cæſare. In vita Stephani III legas, Ioannem Imperialem Silentiarium *regiam juſſionem* Papæ detuliſſe: Papamque ipſum miſſo Conſtantinopolim legato rogaſſe Cæſarem, veniret cum exercitu in Italiam & Romam atque Italiam liberaret à Langobardis: deſperato autem Cæſaris auxilio imploraſſe Pipinum.

Ex quibus omnibus conſtat, ſaltem ad illud uſque tempus Duces ſuos habuiſſe Romam & ne tùm quidem ab Imperio Cæſarum omnimodò liberam fuiſſe, vel Romam unà cum Pontifice, vel quod reliquū ſuperfuit nondum à Langobardis occupatum. Confirmat illam Papalem ſubjectionem etiam illud, quod Zacharias Papa literis ſuis annos Cæſaris adiecerit: ceu videre eſt apud Baronium ad annum DCCXLIV, ac DCCXLIIX. Quanquam enim etiam

tùm

tùm nonnullæ urbes in Papali fuerint ditione dono Luitprandi regis: (teſte Anaſtaſio *in vita Zachariæ*, & ex illo Baronio *ad annum DCCXLII.*) & vero ex eo cœperit urbium poſſeſſio in patrimonio S. Petri, quod appellant, recenſeri: tamen ſuprema juriſdictio ſaltim in ſpeciem tunc manſit Cæſari Conſtantinopolitano.

Cęterùm poſt annum DCCLIV videntur Papę multa acquiſiviſſe & ita quidem ut in ijs Cęſarum aliquã poteſtatem non amplius agnoſcerent. Scilicet id egerunt, ut reliquię illæ Imperij, non Reipublicæ, ſed ſibi donarentur, novo exemplo & ſummè iniquo quidem quod tamen ſucceſſores ſtrenue ſunt ſecuti. Tentaverat jam tum illud Zacharias Papa: a Luitprando enim, rege Langobardorum, *donari ſibi petiit Ravennam cum urbibus vicinis*, teſte Anaſtaſio, ſed fruſtra. At Stephanus ejus ſucceſſor majori fuit felicitate apud Pipinum Francorum regem, qui Aiſtulpho Langobardo expreſſum Exarchatum Ravennatenſem, Pentapolin item ac Æmiliæ oppida Cæſari noluit reddere, ſed S. Petro. Vtrum Pipinus a Stephano perſuaſus fuerit jam ante omnia illa in patrimonio fuiſſe (ceu loquuntur) Petri & per vim Papis erepta à Langobardis, an vero ipſe primus voluerit eſſe donator, hâud facile dixerim. Impiæ enim illæ & inſulſæ literæ, quas S. Petri nomine effinxit Stephanus, & in perpetuum hominis opprobrium produxit Baronius, prius videntur probabile reddere: alibi tamen Pipini dono ſolent ipſi Papæ patrimonium illud ſuum tribuere. Vtut ſit, conatus ſuos Papa Carolomanno, religioſiſſimo viro, quique poteſtatem Francorum regiam cum ſquallore monaſtico commutaverat, inque Caſinenſi monaſterio degens rerum omnium & animi Pontificij erat gnariſſimus, probare non potuit. Adeo certè illi omnia hæc

D diſpli-

diſplicuerunt, ut haud dubitaverit in Galliam ad Pipinum fratrem commigrare, eumque omnibus modis dehortari ne Pontifici aures præberet. Narrat idipſum *Anaſtaſius in vitâ Stephani III* & auctor Annalium Francicorum *anno ID CCLIII.* Nec verò temerè quis excuſaverit Stephanum, quod reipublicæ Romanæ bona ſibi dari, non autem reipubl. reſtitui maluerit. Cæterùm & Pipinum fuiſſe inductum ne redderet reipublicę Ravennatenſem Exarchatum, utut Cæſar per legatos id enixe petierit, docet nos Anaſtaſius. Verba quædam ejus, utut barbara, digna ſunt quæ hic recitemus. Quum enim narraſſet miſſos Conſtantinopoli Ioannem Silentiarium ac Gregorium Protoſecretam, eoſque maritimo itinere in Galliam cum legato aliquo Pontificio migraſſe, addit: *In quam ingredientes didicerunt jam prædictum Francorum Regem Longobardorum fines fuiſſe ingreſſum, juxta adhortationem antefati beatiſſimi Papæ, & promiſſionem, quam beato Petro jureiurando obtulerat. Et hæc cognoſcentes ipſi Imperiales miſſi, triſtes effecti, nitebantur doloſè miſſum Apoſtolicæ ſedis detinere Maſsiliam, ut minimè ad prædictum properaret Regem; affligentes eum validè. Sed interveniente Beato Petro Apoſtolorum Principe eorum callida ad nihilum redacta eſt verſutia. Itaque unus ex ipſis Gregorius videlicet Protoſecreta praecedens Apoſtolicæ ſedis miſſum celeriter prænominatum Francorum ſecutus eſt Regem: quem & in finibus Langobardorum non procul à Papia reperit civitate: & nimis eum deprecans atque plura ſpondens tribui imperialia munera, ut Ravennatiam urbem vel cæteras ejuſdem Exarchatus Civitates & caſtra, imperiali tribuens concederet ditioni. At nequaquam valuit firmiſſimum jam fati Chriſtianiſſimi atque benigniſſimi fidelis DEI & amatoris beati Petri Apoſtoli, ſcilicet antefati Pipini Francorum Regis inclinare cor, ut eaſdem*

dem civitates & loca Imperiali tribueret ditioni: aſſerens iſdem DEI cultor mitiſſimus Rex, nulla penitus ratione eaſdem civitates à poteſtate Beati Petri & jure Eccleſiæ Romanæ, vel Pontificis Apoſtolicæ ſedis quoqnomodo alienari: affirmans etiam ſub juramento, quod per nullius hominis favorem ſeſe certamini ſæpius dediſſet, niſi pro amore Beati Petri & venia delictorum; Aſſerens & hoc, quod nulla eum theſauri copia ſuadere valeret ut quod ſemel Beato Petro obtulit, auferret. Et hæc prædicto Imperiali miſſo reddens in reſponſis, continuo eum ad propria remeandum per aliam viam abſolvit; qui & ſine effectu Romam conjunxit. Hæc omnia Anaſtaſius. Idem nominatim recenſet urbes quæ hac ratione in Paparum dominium pervenerunt: *Ravennam, Ariminum, Piſaurum, atque Fanum, Ceſenas, Senogallias, Eſium, Forum Pompilij, Forum Livij cum Caſtro Suſſubio, Montemferetri, Acerragio, Montem Lucari, Serram, Caſtellum Sancti Mariani, Bobrum, Vrbinum, Callium, Lucolos, Eugubium ſeu Comiaclum, nec non & civitatem Narnienſem.* Ex eodem diſcimus Deſiderium Langobardorum regem ultimum eidem Stephano tradidiſſe *Faventiam cum Caſtro Tiberiaco & univerſum ducatum Ferrariæ.* Ipſe Stephanus epiſtola quadam ad Pipinum perſcriptâ, quam Baronius recitat *anno IↃCCXVI.* etiam alia ſibi promiſſa narrat, bonâ an malâ fide, jam non dixerim. Quid Carolus M. Romanis Pontificibus partim confirmaverit, partim de novo poſſidendum donaverit, idem Anaſtaſius *in vita Adriani* narrat. Nec aliunde deſumit Baronius. Qui quum omnia ſcrinia Romana excuſſerit, nec tamen retulerit nobis ipſas tabulas vel Pipinianæ vel Carolinæ donationis; obiter hic colligere datur, vel eas prorſus periiſſe vel non adeo eſſe liberales atque Anaſtaſius deprædicat.

Cæterum, ſi Anaſtaſio credendum, pleraque illarum

rum Occidentalis Imperij reliquiarum hiſce Pipini & Caroli donationibus in Pontificum plenam poſſeſſionem pervenere: neque enim docent nos hiſtoriæ Cæſaribus quicquam poteſtatis manſiſſe in hæc reliquum. Nec tamen vel ſic liquet, quantum juris in ipſam Vrbem Romam tandem habuerit Papa. Imo verotimile eſt plus auctoritatis libertatiſque cives Romanos retinuiſſe, ut qui nulla tali donatione Papali dominio fuerint ſubjecti. Sacramento tamen aliquo & illos Papæ fuiſſe obſtrictos colligere eſt ex *vitâ Stephani* IV apud Anaſtaſium, qui diſertè dicit de Conſtantino Papâ: *Vniverſum populum ſibi ſacramentum præbere fecit.* Annales quoque Francici narrant Leonem à Carolo Patricio petiiſſe, ut curaret ſibi ſacramentum dici à populo Romano. Verum quouſque per ſacramentum illud populus Papæ fuerit obſtrictus, obſcurum eſt. Etiam tum verò Papas libertatem populi paulatim minuiſſe haud quis dubitaverit: ſed & Conſtatinus ille Papa diſertè conqueritur apud Anaſtaſium, ſe invitum Papam creatum à populo *propter gravamina ac præjudicia illa quæ Romano populo ingeſſerat Dominus Paulus Papa* ſucceſſor Zachariæ.

Sigebertus Gemblacenſis pro acceptis beneficijs Carolo ab Hadriano viciſſim haud parum poteſtatis redditum narrat. Verba ejus ſunt: *Poſtea rediens Carolus Papiam cepit: iterumq; Romam rediit, Synodum conſtituit cum Hadriano Papa aliiſq; centum quinquaginta tribus religioſis Epiſcopis & Abbatibus; in qua Hadrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, ac ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Principatûs. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus à nemine conſecretur;*

tur; omneſq; huic decreto rebelles anathematizarit, & niſi reſipiſcerent, bona eorum publicari. Hæc Sigebertus. At Cardinalis Baronius ad annum ᴍᴄᴄʟxxɪᴠ perſuadere nobis conatur ficta iſthæc omnia eſſe & quidem ab ipſo Sigeberto in gratiam Henrici Cæſaris: eo maximè argumento, quod ante Sigebertum à nemine hæc narrata ſint. Et vero in Anaſtaſii Bibliothecarij *Pontificum vitis* nihil ejuſmodi legitur; quod mirere. Certum verò eſt, idem uſque adeò viſum vulgò olim ut & Gratianus *diſt. LXV. c. XXII* non dubitaverit ſuo idipſum Decreto inſerere: neque fortè ante Baronium quiſquam in dubium vocavit fidem hujus hiſtoriæ. Enimverò, ut alios taceam, qui patrum memoriâ ad res Italiæ ac Pontificias prodendas ſummam curam maximumque judicium attulerunt, Onuphrius Panuinius & Carolus Sigonius prorſus etiam idem habent: ille *vitâ Gregorij VII*: hic *l. IV. de regno Italiæ ſub initium.* Diſertè quoque teſtatur Onuphrius à Gratiano omnem illam narrationem deſumptam *ex Anaſtaſii hiſtoriâ eccleſiaſticâ*: & verò inſcriptio capituli apud Gratianum eſt: *item hiſtoria eccleſiaſtica*; quo nomine Sigeberti Chronicon audire non ſolet. Anaſtaſii vero manuſcriptam hiſtoriam ex Bibliothecâ Palatina ſæpè teſtem vocat Ianus Gruterus *in notis ad Hiſtoriam miſcellam.* Si Anaſtaſius autem id memoravit, quâ fronte in dubium id vocaverimus? Sed & in oratione Gregorij VI, quæ eſt apud VVilhelmum Malmesburienſem *l. II. de geſtis reg. Anglor. cap. XIII.* verba hæc legas: *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ prædeceſſor noſter Hadrianus I. quod inveſtituras Eccleſiarum Carolo Magno conceſſerit ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo niſi prius à Rege inſigniretur & annulo & baculo.* Saltim itaque dudum ante Sigebertum ita narratum fuit & immeritò à Baronio fictio-

nis ille poſtulatur. Quin imo veriſſimum longè eſt, illo anno quo Hadrianum Pontificem Romæ Carolus Magnus convenit, huic *Principis* poteſtatem ſub *Patricij* titulo & jus aliquod inſigne circa Pontificum ipſorum electioně conceſſum eſſe. Diſertè enim Anaſtaſius in vita illa Hadriani ſcribit, Carolum exceptum eſſe *cum ingenti honore & ſicut mos eſt ad Exarchum aut Patricium ſuſcipiendum.* In Carolinis quoque diplomatibus, quæ paſſim exſtant, hodieque ex eo uſque tempore legitur adiectus nomini titulus *Patricij*: ſolentque anni Patriciatus ab illo ɪↄ ccLxxɪv numerari, non vero ab anno Lxxxɪ, quod ſcribit Otto Friſingenſis *l. V. Chron. cap. XXIIX.* Sanè jam ante Patricius inſcriptus eſt Carolus a Papis: ipſe tamen antehac hoc titulo non eſt uſus. Vt liqueat iſto anno demum una cum nomine & rem ipſam Patriciatus adquiſitam. In Annalibus Francicis Carolina ætate ſcriptis legitur anno ɪↄ ccxcvɪ: *Romæ Hadriano defuncto Leo Pontificatum ſuſcepit & mox per Legatos ſuos claves confeſſionis Sancti Petri ac vexillum Romanæ urbis cum muneribus regi miſit.* Recitat hæc & Baronius, ſed non ſine ſtomacho *in Novatores*, quod hinc colligant Caroli aliquam in Vrbem poteſtatem. Verum ille veteratoriè admodum omittit illa quæ auctor ille adjunxit; *rogavitque ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret.* Quis vero non hinc colligat populum Romanum non fuiſſe in fide Pontificis ante Carolinam confirmationem? Nec profecto urbis alicujus vexillum mitti tum ſolitum niſi illi penes quem fuit urbis aliqua poteſtas. Certè nihil huc facit quod prætexit Baronius, etiã Hieroſolymis vexillum miſſum Carolo: neque enim Annales Francici, qui id narrant anno ɪↄ ccc, de urbis vexillo loquuntur,

ſed

ſed ſepulchri dominici: quod itidem munere Aronis Caliphæ poſſediſſe Carolum diſertè ſcribit Eginhartus. Clariſſimè Caroli Patricij illa in Romanos & ipſum Papam poteſtas perſpicitur ex negotio Leonis illius Papæ quod tum ipſi cum Romanis nonnullis eſſe cœpit IↃCCCXCIX. Ille enim cùm ejectus eſſet à Romanis aufugit conqueſtum de injuria ad Carolum: ad eundem accuſationem ſuam contra Papam detulerunt Romani: per legatos Caroli Papa *in locum ſuum reſtitutus eſt*. legati *per unam & ampliùs hebdomadem inquiſiverunt in malefactores, quam malitiam* (verba ſunt Anaſtaſij) *ab ipſo ipſorum Pontifice habuiſſent? cùmq; nihil illi haberent adverſus eum quod dicerent, tunc illos comprehendentes prædicti miſſi Magni Regis emiſerunt eos in Franciam:* ſequente anno ipſe Carolus præfuit examini eorum quæ Pontifici objiciebantur: *fecit in baſilicâ Petri congregari Archiepiſcopos* (verba iterum ſunt Anaſtaſij) *Epiſcopos, Abbates & omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum*: ut Annales ſcribunt, *concione vocatâ cur Romam veniſſet omnibus patefecit, & exinde quotidiè iis, propter quæ venerat facienda, operam impendit, in quibus ut maximum ita difficillimum erat quod primò inchoatum eſt de inveſtigandis ſcilicet quæ Pontifici objiciebantur criminibus.* Hæc profectò clariſſimè arguunt qualis fuerit illa poteſtas, quam Patricij nomine habuit Carolus, nempe qualis fuerat olim Exarchorum, & quidem in ipſum Papam ſive electionem ejus ſpectes ſive mores ac vitam. Nec vero alio fortè pertinet quod & Adriano ipſi olim à dextris inceſſerit Carolus: diſertè ſanè narrat Anaſtaſius tenuiſſe Carolum inter ambulandum, Papæ dextram. Si tanta fuit autem Patricij Caroli auctoritas in Papam; quanto major procul dubio poteſtas ejus fuit in reliquos Romanos? Et vero etiam

iam id patet ex eo, quod per legatos ejus nonnulli urbe pulſi ſunt. In reliquias Petrini patrimonij jus ejus inde colligas quod, teſtibus Annalibus Francicis, anno illo CI CCC, quo Romam ivit in cauſſa Leonis, cum exercitu Ravennam atque Anconam adierit: minimè id facturus niſi urbes illas ſuæ eſſe ditionis cenſuiſſet. Rectè proinde Carolus Sigonius *l. IV. de regno Italiæ. His ille honoribus inſignitus exinde ulterius formando regno atque Italiæ conſtituendæ ſe tradidit. Primum autem Apuliam, &c. Exarchatum Ravennatem, Pentapolin, Ducatum Peruſinum, Romanum, Tuſcum, & Campaniam, IVRE PRINCIPATVS ET DITIONE ſibi utente, Pontifici permiſit, reliqua ipſe ſibi nomine REGNI retinuit.* Et verò cum certum ſit Carolum Patricium fuiſſe Romanum, illo autem nomine tum vis inſignis fuerit intellecta, vel ex ſolo illo nomine adparet, ab anno illo LXXIV Caroli in ditione aliquatenus fuiſſe omne Petri patrimonium, ipſam vrbem Romam, imo ipſos Pontifices. Certè talẽ aliquem Principatũ poteſtatemq; Patricij nomine olim, & eâ quidem ipsa ætate, veniſſe conſtat inter eruditos. Neq; vero dubitandum eſt, parem in reliquos Epiſcopos per Patrimonium illud diſperſos poteſtatem exercuiſſe Carolum Patricium quàm exercuit in Leonem Papam ipſum.

Quin itaque poſt illum cum Hadriano congreſſum, Carolus habuerit Patriciatum, illamque vim in Pontificem reliquoſque Epiſcopos Patrimonij Petri (nam ad illos, non ad reliquos per Galliam, Germaniamque diſperſos pertinet indubie novum hoc jus inveſtituræ, utpote quum alibi idem jus jam tum dudum obtinuiſſent Franci) quorum Sigebertus meminit, non eſt profectò dubitandum. Atqui ante tempus illud nec nomine Patricij Carolus

lus nec poteſtate eſt uſus. Proinde illo ipſo tempore accepit quo ante carebat: adeoque fama illa de *Hadriani decreto*, quod adpellant, non eſt fabuloſa, quod nuper adcò Baronius, quo Hildebrandinam hæreſin ſtabiliret, docuit. Ad novum illum Principatum tunc ſuſceptum indubiè & id pertinuit, quod Adriani ſuaſu Carolus tum Romæ inceſſerit veſtitus Romano more, quod iterum factum cùm Imperatorium nomen conſequeretur. Teſtatur id Eginhartus in ejus vitâ: *Peregrina verò indumenta quamvis pulcherrima reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur; excepto quod ſemel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante, longa tunica & chlamide amictus & calceis Romano more formatis induebatur.* Neque eſt cur nos moveat quod *in Hadriani vita* apud Anaſtaſium nihil tale legas: fortè enim omne illud ut alia multa ſcæva quadã manu inde exciſum; fortè & ſtudio ab Anaſtaſio prætęritum, ut qui vixerit prorſus illa ætate quâ Cęſaribus auctoritatem omnem & jura in Vrbem eripere conabatur Romana Curia, cui ille fuit obnoxius & addictiſſimus ad omnia, quæ ad Papalem ambitum viſa facere, quemadmodum multis licet certiſſimis notis probare. Neque tantus numerus Epiſcoporum non potuit tum Romæ adeſſe, quùm Carolus eorum ingentem numerum ſecum adduxerit, teſte ipſo Anaſtaſio. Neque cauſſa longè eſt petenda, quur Adrianus Populuſque Romanus tantum poteſtatis voluerint Carolo concedere: quùm vel ex Anaſtaſio ſciamus quantos motus per petulantiam Romanorũ ciuium proximi deceſſoris Stephani electio ſenſerit, & quid paſſa fuerit aliquandiu Roma Exarcho & defenſore deſtituta. Multò minùs quenquam turbet *inveſtituræ* vox Sigeberto uſurpata, quam illi ævo ignotam criminatur Baronius. Non

enim dicit Sigebertus eâ voce tùm quenquam uſum. Neq; verum eſt illam tum nullo in uſu fuiſſe, quod & Petrus Pithœus notavit *in Gloſſario*, quem deſcripſit *in ſuo* Lindenbrogius.

Cæterùm de Patriciâ Caroli in Romam, Pontificem ac S. Petri patrimonium poteſtate ſatis. Notandum vero apud Gratianum *l. cit.* legi: Adrianum *cum omni clero ac populo* eam Carolo poteſtatem conceſſiſſe. Hinc vero liquet non in unius Hadriani manu tùm fuiſſe rempublicam vrbis Romæ, ſed ex parte & in Populi: nec unius Hadriani dono Patriciatum illum ad Carolum perveniſſe. Quicquid Papæ tribuant Hildebrandini. Rectè ſcilicet Sigonius: *Vniverſo Procerum conſentiente conventû decretum ut Carolus Patricius Romanus eſſet &c.* Etiam ex ſequentibus perſpicere erit, non ab uno Papa ſed ſimul à populo collatum Carolo Cæſareum nomen: adeoque in unius Papæ poteſtate non fuiſſe rempublicam urbis Romæ.

Minus liquet, an non omni ejus temporis intervallo ſaltem comis quædam reverentia Cæſarum Romæ remanſerit. Certe ſigna ſubjectionis in hiſtoriis antiquis nulla comparent. Reverentia tamen quadam inductos abſtinuiſſe Romanos ab Imperatore creando eſt veroſimile. Verùm huic ut incerto pro ſe quiſque vel adhibeat vel adimat fidem.

CAPVT VII.

Per Imperatorium titulum Carolo Magno collatum eſſe hæreditarium dominium Romæ & omnis Patrimonii S. Petri.

HIſce quaſi in anteceſſum præmiſſis quidnam cum Cæſareo titulo, primùm ad Francorum Carolinam pro-

progeniem, inde ad Germanicos Reges devenerit, quidque ſit illud cujus cauſsâ Imperatores illi audierint hodieque audiant, conſequens eſt exponere; initio ab ipſo Carolo ejuſque poſteris facto.

Atque Carolum quidem Magnum ipſis feriis natalitiis adeoque finiente anno ɪↄccc proclamatum eſſe Cæſarem Auguſtum apud omnes conſtat. Nec mei eſt inſtituti quâ id auctoritate ſit factũ prolixè diſputare, utut hâc de re jam a multo tempore acriter ſit dimicatum inter Hildebrandinæ hæreſeos patronos alioſque; nonnullis horum toto hoc in negotio Pontifici nihil prter coronationis miniſterium tribuentibus; ut ex adverſo illi omnia in unius Papæ, & quidem prout ille credi vult orbis Chriſtiani dominus ac vicedeus, referunt poteſtatem. Quorum utrumque tamen repugnat ijs literarum monumentis quæ Carolinæ ætati ſunt proxima. Libet unius Anaſtaſii verba *ex vitâ Leonis* in medium nunc adducere, quoniam ipſimet Baronio, maximo Hildebrandinarum partium adſertori, unius illius verbis placuit hiſtoriam hanc recenſere.

Poſt hæc adveniente die natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, in jam dicta baſilica beati Petri Apoſtoli omnes iterum congregati ſunt, & tunc venerabilis almificus Pontifex manibus ſuis propriis precioſiſsima corona coronavit eum. Tunc VNIVERSI FIDELES ROMANI videntes tantam defenſionem & dilectionem, quam ergà Sanctam Romanam Eccleſiam & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſona voce, DEI nutu atque Beati Petri Clavigeri regni cælorum, exclamaverunt: Carolo piiſsimo Auguſto à DEO coronato, magno, pacifico Imperatori vita & victoria. Ante ſacram confeſsionem beati Petri Apoſtoli plures ſanctos invocantes ter dictum eſt, & ab OMNIBVS CONSTITVTVS eſt Imperator Romanorum.

 Hacte-

Hactenus Anaſtaſius. Illo ergo teſte ſcimus Carolum eſſe *conſtitutum Romanorum Imperatorem ab omnibus* in Baſilicâ tùm præſentibus. Hi autem erant præter Pontificem ipſum ac plurimos Epiſcopos Clericoſque, *univerſi Romani.* Scimus ab uno Pontifice Carolum coronatum. Scimus denique Romanos cives in proclamando Cæſare non ab unius Papæ nutu dependiſſe ſed ſuo quoq; uſos conſilio. Ita omnia contigiſſe haud difficile fuerit divinare etiã omni teſte deſtitutis. Credidit ſcilicet urbs Roma liberam ſe à jure Cæſaris Conſtantinopolitani, itaque ſui eſſe arbitrij quem vellet Cæſarem creare. Ejus urbis primarius civis tum erat Pontifex non autem dominus, quomodo ſeſe nunc gerit: itaque neque unius Papæ neque unius populi in poteſtate fuit Cæſaris creatio, ſed ad utrumque pertinuit hoc jus, potiſſimum tamen ad illum quo erat majore auctoritate & dignitate præ populo, quodque in unius illius, non populi, patrimonio haberentur eæ per Italiam urbes ac provinciæ quæ Imperij Romani titulo à Carolo erant poſſidendæ, ut paulò pòſt probabitur. Portenta illa Hildebrandina de Papali omnipotentiâ & in regnis Imperiiſque transferendis auctoritate nondum audierat orbis. Itaque nemini vel per ſomnium tùm in mentem venire potuit Papam in hoc negotio gerere ſeſe alium quàm primarium civem Romanum & poſſeſſorem Patrimonij quod vocant Petrini. Nihil certè agit Bellarminus *l.1. de translat. Rom. Imp. cap. XII.* quando & Carolo perſuaſam illam omnipotentiam fuiſſe docet, quoniam ille Hadrianum *ſummum Pontificem* habuit & *univerſalem Papam*: quaſi ſcilicet illi tituli omnipotentiam notent Hildebrandinam.

Verùm hoc obiter & quaſi in tranſcurſu: redeundum potius eſt ad inſtitutum. Itaque nudum nomen Carolo datum

tum nemo temerè dixerit. Neq; verò adeò id Romæ tùm ut hodiè familiare fuit. Cum illo titulo & dignitatē & honorē & jura quæ non multò ante ſupererant Cæſaribus in occidente conceſſa eſſe veroſimilius eſt. Fatetur idipſum quodammodo & Bellarminus *l. 1. de translat. Imper. Rom. cap. VII.* inquiens: *Ius ipſum quod Græcus Imperator in provincias Occidentalis Imperij habebat, nec non titulos, honores ac dignitates Auguſtorum à Leone Pontifice Carolo impertitas adſerimus.* Sed hoc dilucidiùs eſt explicandum per partes.

Vrbem Romam ergo quod attinet, illa dominio Carolino indubie ſubjecta fuit. Diſertè Ioannes Zonaras *in vita Conſtantini & Irenes l. III. annal.* id teſtatūr: *Româ prorſus Franci potiti ſunt, Carolo à Leone coronato & Romanorū Imperatore appellato.* Idē: *Sub Conſtantino & Irene Papa Leo Francos etiā Romā admiſit. Sic & Italia universâ & ipsâ Româ ſunt potiti.* Annales Franciçi antiquiſſimi teſtantur, coronatione illâ peracta, Carolū graviter animadvertiſſe in nobiles Romanos. *Poſt paucos dies iubente ipſo* (Carolo) *ij qui eundē Pontificē anno ſuperiore depoſuerant, in iudicium adducti & habitâ de iis quæſtione ſecundū legem Romanorū, ut criminis læſæ maieſtatis rei, capite damnati ſunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorē interceſsit. Nam & vita & membrorū integritas ijs conceſſa eſt. Cæterùm pro ſui facinoris magnitudine exilio damnati ſunt. Hujus factionis fuere principes Paſchalis Nomenclator & Campulus Sacellarius & multi alij Romanæ urbis habitatores nobiles, qui ſimul omnes eadem ſententia damnati ſunt.* Ex quibus patet Iuriſdictionem, merum mixtumq; Imperium Vrbis fuiſſe tùm penes Carolum. Iidem Annales mox ſubjungunt: *Ordinatis deinde Romanæ urbis & Pontificis totiusq; Italiæ non tantùm publicis ſed etiam Eccl.ſiaſticis & privatis rebus, (nam totâ hyeme non aliud fecit Imperator.) Româ profectus eſt.* Penes Carolum ergo fuit ordina-

re rempublicam civilem & eccleſiaſticam ut alibi ita & Romæ. Idem liquet inde, quod Romanos reliquorum ſubditorum in cenſu habuerit Carolus. *Capitular. Francor. l. VI. cap. LXXXI: Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni noſtræ DEO auxiliante ſubjecti tàm Romani quàm Franci, Alemanni, Bajoarij, Saxones, &c. cæteriq́ nobis ſubjecti omnes.* Non minus probare id ipſum eſt ex illo Caroli teſtamento quod recitat Eginhartus: *In regno illius metropolitanæ civitates XXI eſſe noſcuntur &c. Nomina metropolitanarum civitatum hæc ſunt: Roma, Ravenna, Mediolanum.* Manifeſtum ſanè hinc eſt, Romam habitam fuiſſe pari cum alijs regni Carolini metropolitanis urbibus conditione. Plenius & clarius jura illa Imperatoria in Vrbem deſcribit auctor appendicis illius ad Eutropium, quam publicavit primum Matthias Flacius in *Catalogo teſtium Veritatis* & volumini primo *Monarchiæ S. R. Imp.* inſeruit Melchior Goldaſtus. Etſi enim aliarum vetuſtiorum rerum rationem non æquè ſit aſſecutus, in his tamen meretur fidem, ut qui ante Ottonis I Imperium vixiſſe videatur, & alia ejus ætatis monumenta habeat ſibi conſentientia. *Propterea inventum eſt, ut omnes majores Romæ eſſent Imperiales homines tàm Epiſcopi quàm laici; & omne vulgus pariter cum his faceret fidelitatem Imperatori; & ut ſuus Miſſus omni tempore moraretur Romæ, ad deliberandas litigioſas contentiones. Morabatur quippe in Palatio S. Petri; & erat conſtitutum, quanta & qualia ſtipendia de Palatio ei darentur cotidiè. Quod autem reliquũ erat, de ſupradictis monaſteriis vel patrimoniis deferebatur affluenter. Tanta nempe Imperialis virtus ibi vigebat, ut ſi in legali judicio minoris vel inſcij cauſa poſtponeretur, & ille alicuius conſilio pedes teneret Legati Imperatoris, petens ab eo iuſtam legem: & Miſſus adiuraret Principes Romanorum, dicens: Per*

eam

eam fidem, quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini iuſtam legem; nemo erat auſus declinare neque ad dexteram neque ad ſiniſtram, etiamſi à propinquis Pontificis illata eſſet iniuria. Multotiens verò non ante Apoſtolicum, ſed in iudiciali loco ad Lateratum, ubi quidem locus dicitur ad lupam, quæ mater vocabatur Romanorum, ibi iudiciariam legem ſiniebant. Compoſitiones quoq., quæ ſolebant à malefactoribus ſolvi, æqualiter dividebantur Miſſo Imperatoris & Apoſtolici. Si autem talis culpa erat, ut res ſcelarata fiſco publico ſubderetur, non ad eccleſiaſticam tranſibat ſubiectionem, niſi per donativum Imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat Imperatoris Epiſcopus aut iudex Romanus, & placitum eſſet Cæſari venire Romam, veniebat: Sin autem, mittebatur Dux Spoletinus, comprehendebatur offenſor, & ducebatur in exilium. Domus verò illius ſignabatur annulo Regis, uſq. ad eius conſultum; ut ſi quando reverteretur ad gratiam, haberet propria ſalva: ſin aliàs, per Imperialia præcepta diſtribuebatur militibus. Quod ſi ad iudicis poteſtatem reÿciebatur quiſquam, & Cæſaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio Legatus ab Imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem &: ſi eiectus propriam haberet culpam, ſuſtineret iniuriam. Hæc ille.

Idem ſtatim ſubdit: *Hac conſuetudine uſi ſunt Romani uſq. ad Ludovicum, magnum Imperatorem, Lothary filium.* Habet verò & in eo conſentiens teſtimonium ejus ævi ſcriptorum. Annales Francici teſtantur anno ıↄcccxv, cùm apud Ludovicum delatus eſſet Leo Papa quaſi ipſius iuſſu nonnulli eſſent interfecti *tuliſſe id moleſtè* Imperatorem, & Bernhartum nepotem Romam miſiſſe qui cauſſam cognoſceret, tandem Imperatori eſſe ſatisfactum. Item, cùm paulò poſt denuò Romani invaderent Leonis prædia, Bernhartum regem *quæ erant geſta per Legatos Imperatori nunciaſſe.*

De

De Stephano Papa, qui anno ıↄcccxvı cœpit ſedere, Theganus in vitâ Ludovici: *Stephanus poſtquam Pontificatum ſuſcepit juſſit omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.*

At Ludovici Pij dono in Paſchalem Papam ejuſque ſucceſſores collatum cum aliis multis Romanæ urbis imperium, quis dixerit. Et vero circumfertur in hanc rem Ludovici Cæſaris donatio. Verùm omne hoc merum eſſe figmentum Paparum & quidem Hildebrandinorum, multa ſunt quæ doceant. Primò enim ejus doni nec vola nec veſtigium exſtat in omnibus ſcriptoribus, etiam Pontificiis, & ut rerum curiæ gnaris ita illi addictiſſimis, ante Hildebrandum. Imo ne ipſe quidem Hildebrandus ijs epiſtolis quibus confirmare Pontificia ſua quæ vocat jura contra Cæſarem nititur, donationem hanc Ludovici memorat: ſed demum Paſchalis II dominante jam Hildebrandino ſpiritu. Deinde diplomata ſeu tabulæ hujus donationis variant plurimum. Ex Vaticana Bibliotheca alias Raphael Volaterranus *l. III. Geograph.* alias Baronius depromit *ad annum Iↄ CCCXVII.* Alias recitat Carolus Sigonius *l. IV. de regno Ital.* Quod figmenti ſignum alterum eſt. Adhoc, illo anno ıↄcccxvı quo id factum creditur, in Aquiſgranenſi conventu nullus adfuit Legatus Papæ, ſed dudum remiſſus Romam: nec ille Legatus aliud retulit domum quàm conſenſum Imperatoris circa electionē Paſchalis Papæ: quod diſertè docent Annales & auctor vitæ Ludovici. Quod maximum eſt, adminiſtratio tum Vrbis tùm Patrimonii Petrini per omne illud ævum uſitata repugnat illi dono directâ fronte: nec tamen vel leviſſimū indicium obſervare eſt contrà quicquam Pontifices ſibi producto privilegio tùm arrogaſſe. Merito itaque

que omne hoc explodimus cum aliis Hildebrandinis commentis.

Cæterùm ejuſdem Ludovici Pii integram juriſdictionem in Romam perſpicere manifeſtò licet ex negotio eorum qui Theodoricũ Primicerium ac Leonem Nomenclatorem occiderunt: quod latè narratur in Annalibus *anno* *IↃ CCCXX* & vitâ ipſa Ludovici. Iidem Annales anno XXIV narrant miſſum Romam à Patre Lotharium, *ut vice ſuâ functus ea quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice* (erat is Eugenius) *atque Romano populo ſtatueret & firmaret.* Infra ſubjungit: *Lotharius juxta Patris præceptum Romam profectus ab Eugenio honorificè ſuſcipitur. Cùm iam iniuncta ſibi patefaceret: ſtatum populi Romani iamdudum quorundam Præſulum perverſitate depravatum memorati Pontificis benevola aſſenſione ita correxit, ut omnes qui rerum ſuarum direptione graviter erant deſolati, de reſtitutione bonorum ſuorum quæ per illius adventum Leone donante provenerant, magnificè eſſent conſolati.* Leges à Lothario Romano populo tùm promulgatas recitat Sigonius atque ex illo Baronius. Nil derogat verò juriſdictioni Cæſareæ, quod omnia dicantur correcta *cum aſſenſu benevolo Pontificis*: prodigalitate enim Pontificum omnia erant depravata, itaque tantùm bona cum hujus Papæ gratiâ ſunt in priſtinum locum reducta: & verò competebat tùm & Papæ aliqua in nonnulla Vrbis juriſdictio ſed Cæſari ſubjecta. Neque verò eſt quur cum Baronio Papalem auctoritatẽ in regenda Româ majorem tùm fuiſſe Cæſareâ quis credat, eò quod in legibus illis inter alia hæc verba habeantur: *Quod ſi in offenſionem ſuam contra eandem legem fecerint, eidem legi quam profitentur, ex conſtitutione Pontificis & noſtrâ, ſubiacebunt*: ſcil. nomine Pontificis collocato ante ipſius Cæſaris. Conſtat enim leges

F illas

illas omnes eſſe utique non Pontificis ſed unius Lotharij nomine promulgatas ac ſcriptas. Hujus enim unius eſt illud *Volumus*. Neque illa ætas adeò curioſa fuit in præ aut poſtponendis nominibus, obſervato ſemper auctoritatis ordine. Ne illa quidem earumdem legum verba: *Noviſſimè admonemus, ut omnes homines, ſicut DEI gratiam & noſtram habere deſiderant, ita præſtent in omnibus obedientiam ac reverentiam hanc Pontifici*, μοναρχικὸν quid Papæ tum tributum indicant, ſed tantum vetant rebellionem contra Eugenium, cui populi pars minor favebat, eamvè quæ illi competebat juriſdictio ſtabilit & munit. Quid aliàs tùm de judiciorum ratione Romæ obſervanda ſit conſtitutum, his verbis prodit auctor vitæ Ludovici: *Statutum etiam iuxta antiquum morem, ut ex latere Imperatoris mitterentur, qui iudiciorum exercentes poteſtatem, juſtitiam omni populo facerent & tempore quo viſum foret Imperatori, æqua lance penderent.*

Poſt Ludovici obitum & Lotharius ſervavit eadem jura contra refractarios Romanos cives. Hinc cùm in Sergio II conſtituendo multa contra fas commiſiſſent, per filium Ludovicum & malè eos mulctavit & ſacramento novo ſibi obſtrinxit. Anaſtaſius in *vita Sergij*: *Tunc demum in eadem Eccleſia ſedentes pariter tàm beatiſſimus Pontifex quàm magnus Rex & omnes Archiepiſcopi atque Epiſcopi, ſtantibus reliquis ſacerdotibus & Romanorum ac Francorum optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori ſemper Auguſto promiſerunt*. De ejus Sergij fratre Benedicto ſcribit alter auctor *de vitis Pontificum*, Luitprandus perperam creditus: *maximis muneribus primatum & dominatum Romæ ſibi ab Imperatore acquiſivit*. Leonem IV tùm non niſi permiſſu Lotharij Cæſaris Leoninam Vrbis partem quam vocant muro circumdediſſe, dicit & Anaſtaſius *in ejus vitâ*. Quomodo

ab

ab eodem Cæſare animadverſum ſit in Danielem magiſtrum militum læſæ majeſtatis accuſatum, narrat idem ſatis prolixe *in eâdem vitâ.* Non aliam fuiſſe rationem Romanæ reipublicæ Cæſare Ludovico II, imò hunc jura ſua majore cura, tutatum prolixè narrat auctor ille appendicis Eutropianæ ante laudatus. Baronius anno IↃ CCCCLXXI recitat Cæſaris illius literas ad Michaelem Conſtantinopolitanum perſcriptas, quibus inter alia adfirmat: *A Romanis ſe gentem & Vrbem divinitus gubernandam ſuſcepiſſe.*

Quæ igitur in Vrbem ipſam jura Carolus ſit conſequutus cum titulo Imperatorio, hinc liquet. Non eſt autem neceſſe uti probemus, non minora illi concesſa in urbes regioneſque quæ in Patrimonio S. Petri cenſebantur. Quis enim crediderit Romam inferiore fuiſſe conditione?

Ipſum vero Pontificem quoque ex eo juriſdictioni ejus fuiſſe ſubjectum ſtatim oſtendit adoratio quâ Carolum jam jam coronatum excepit Leo. Hac de re Annales: *Poſt quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt.* Silentio hoc præteriit Baronius, imò & Anaſtaſius, uterque valde diligens narrator eorum quæ ad honorem Paparum faciunt. Baronius contrà juramenti aliquam formulam profert quâ Carolus ſeſe Pontifici obſtrinxerit; ſed ſine ullo teſte idoneo. Certè ejus alicujus ſacramenti Cæſarei iſthac ætate uſurpati nec apud Anaſtaſium nec apud alium quenquam vel levis nota comparet. Verùm hic eſt ſuccus ille loliginis & ærugo Hildebrandina. Ludovicum Pium in ipſum Leonem apud ſe delatum inquiſiviſſe, huncque Cæſari ſe coactum purgare, teſtantur Annales, anno DCCCXV. Iidem anno XVII narrant Stephanum Leonis ſucceſſorem Legatos miſiſſe Cæſari pro conſecratione ſuâ: ſequente anno Paſchalem *poſt completam ſo-*

lenniter ordinationem ſuam & munera & excuſatoriam Imperatori miſiſſe epiſtolam: alia legatione, *quod praeceſſoribus ſuis factum erat etiam ſecum fieri ac firmari, rogâſſe*. Petiit ſcilicet ille confirmationem. Idem Ludovicus Pius juſſit inquiri in Paſchalem ſuſpectum cædis patratæ in duos rerum Cæſareanarum ſtudioſos: nec hic abſolutus eſt niſi poſtquàm *juramento ſeſe purgaſſet*. Ejuſdem Cæſaris auctoritate anno XXIV Lotharius reſcidit multa Pontificum in Vrbe acta circa bona eccleſiaſtica & conſtituit leges de electione Pontificum. Gregorius Papa anno XXVII *non priùs ordinatus eſt* (verba ſunt Annalium) *quàm Legatus Imperatoris Romam veniret & electionem populi examinaret*. Mitto alia Ludovici Imperatoris; quũ pauca hæc ſufficiant ex Annalibus & vita Ludovici illius petita. Ejus filius Lotharius quomodo ſeſe geſſerit erga Sergium II, jam ſupra audivimus ex Anaſtaſio. Confirmavit verò & ille hunc Sergium & Leonem IV. Benedictus III ne quidem ordinatus eſt niſi conſenſu Ludovici II Cæſaris impetrato. Eodem Cæſare præſente & *jubente* conſecratus eſt Nicolaus. Etiam Hadriani II electionem idem dicitur *collaudaſſe*. Quomodo eidem Nicolao Cæſar ille reſtiterit in negotio Archiepiſcopi Ravennatis, ex appendice Eutropianâ liquet: ut de cæteris omnibus nobis conſtat ex ipſo Anaſtaſio & aliis antiquiſſimis vitarum Papalium ſcriptoribus. Ex his verò omnibus manifeſtum eſt, Cæſaribus illis poteſtatem reliquam fuiſſe in Paparum non conſtitutionem tantùm ſed & vitam ac mores ipſos.

Omnis vero hæc poteſtas in Papam, Romam & Patrimonium Petri videtur ad Carolum & ſucceſſores pertinuiſſe jure hæreditario, nec ullo modo à Pontificum aut populi Romani conſenſu ampliùs ſuſpenſa, poſtquam in

Carolum Imperatoria dignitas eſt tranſlata. Tali ſcilicet modo Cæſares Conſtantinopolitani Romana illa tenuerunt: in eorum vero jura ſucceſſit Carolus. Liquet verò illud ipſum etiam ex eo, quod Carolus nullo præſente Romani Pontificis Legato, nec ipſo Papâ conſulto, Ludovicũ filium anno ıɔcccxııı poſt coronam impoſitam *Imperialis nominis ſibi conſortem fecerit*, teſtibus Annalibus. Ipſe Ludovicus anno demùm xvı à Stephano eſt coronatus, interea vero temporis & Imperatorium nomen geſſit & poteſtatem ſuam exercuit in Romam & Pontificem ipſum. Baronius tamen, ubi recitaſſet ad annum ıɔcccvı Teſtamentum Carolinum à Petro Pythæo editum, atque ex Annalibus Francicis narraſſet, confirmatum illud eſſe a Leone Papa, etſi nihil haberet ad Vrbem Romam & Pontificem pertinens, in hæc verba prorumpit: *Sub Leonis diſpoſitione de Imperio diſcernendum reliquiſſe viſus eſt Carolus, ut cui vellet Pontifex daret, cùm nullam de eo in teſtamento mentionem habere voluerit, de quo ante omnia fuiſſet ipſi teſtandum, ſi hæreditarium exiſtimaſſet & non potius Romani Pontificis arbitrio electitium.* Verum hæc Baronij hariolatio eſt. Sanè nihil in tabulis illis de Imperio legitur diſpoſitum. Aſt inde haud colligere eſt, non fuiſſe illud in Caroli diſpoſitione. Vtut verò cauſſa fortè nos lateat quare in illo quidem teſtamento nihil voluerit hac de re decernere, vel ex ipſis tamen tabulis illis perſpicere eſt hæreditarium jus Caroli in res Imperij. Diſerta verba ſunt: *hujus à DEO conſervandi Regni vel Imperij noſtri hæredes relinquere.*

Redeundum eſt ad Ludovicum. Hic itidem inconſulto Pontifice, anno ſeculi illius noni xvıı, Lotharium *primogenitum filium coronavit & nominis atque Imperij ſui ſocium conſtituit.* Neque ille niſi rogatus à Pontifice coronatus

eſt, & quidem demùm anno XXIII: quod ex Annalibus Francicis notiſſimum eſt. Neque legas à Lothario inſtitutum filium Ludovicum Imperatorem, conſenſu priùs Papæ invocato. Ipſum Ludovicum II, cùm liberis deſtitueretur, proximum agnatum Carolomannum Ludovici Germanici filium Imperij hæredem ſcripſiſſe, diſertè perhibet auctor ille Appendicis Eutropianæ jam non ſemel laudatus. Sed & Carolomannus uno hoc hæreditario jure fultus Imperatorem ſe dixit, etſi Italiam non intraverit ac Romanus populus Carolum Calvum ſuſcepiſſet. Ejus Cæſareum titulum obſervavit Carolus Sigonius *l. IV de regno Italiæ*: quicquid diſſimulet Baronius. In viſione Caroli Craſſi quam Baronius tomo Annalium decimo inſeruit, legitur: *Tunc converſus ad me Ludovicus dixit mihi: Imperium quod hactenus tenuiſti iure hæreditario debet recipere Ludovicus filius filiæ meæ.* Nolo alia adferre. Neque verò à Papis quicquam hâc in re turbatum legas, niſi poſt Caroli Calvi obitum à Ioanne IIX, aut ſi nonum vocare malis, Carolinæ familiæ diſcordiâ & diſtractis viribus ad inſolentem hanc audaciam permoto.

De Carolo tamen Calvo & ſucceſſoribus in hunc modum diſſerit autor appendicis Eutropianæ. *Carolus Calvus veniens Romam renovavit pactum cum Romanis perdonans illis iura Regni & conſuetudines illius, tribuens illis ſumptus de tribus ſupradictis monaſteriis, id eſt, Domini Salvatoris, & Beatæ Mariæ ſemper virginis in Sabinis atq. S. Andreæ iuxta montem Soractis & de cæteris quàmplurimis monaſteriis fiſcalia patrimonia. Patrias autem Samniæ & Calabriæ ſimul cum omnibus civitatibus Beneventi cis contulit: inſuper ad dedecorem Regni totum Ducatum Spoletinum cum duabus civitatibus Thuſciæ, quod ſolitus erat habere ipſe Dux, id eſt, Aretium & Cluſinum; quatenus*

 ut is,

ut is, qui praerat Regiâ vice antè, Romanis videretur poſt eſſe ſubiectus. Removit etiam ab eis Regias Legationes, aſſiduitatem vel præſentiam Apoſtolicæ electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit quæ voluerunt; quemadmodum dantur illa, quæ nec rectè acquiruntur nec poſſeſſura ſperantur. Fugato itaque iſto Carolo præ metu alterius Caroli qui veniebat, infirmatur antequam de regno egrederetur Italico. Egreſſus namque vix defunctus eſt. Ab illo autem die honorificas conſuetudines Regiæ dignitatis nemo Imperatorum, nemo Regum acquiſivit: quia aut virtus defuit aut ſcientia, pro multis Regni contentionibus & adſiduis diviſionibus. Vnde multa prælia, delationes, & rapinæ fuerunt in Regno. Hæc auctor ille. Neque nos negaverimus poſtilla Cæſaream Francorum poteſtatem multùm fuiſſe imminutam. Nec tamen temerè quis probaverit, in illud Calvi Caroli pactum unquam à Carolina familia reliqua conſenſum eſſe, ut ut juribus ſuis uti non potuit. Sed eâ de re agere non eſt hujus inſtituti. Satis eſt nos demonſtraſſe, Carolum Magnum verè Cæſareum aliquod dominium in Romam, Papam, & Petri Patrimonium cum titulo Imperatorio impetrâſſe, utut poſteri ipſius ea poteſtate per injuriam exciderint.

Ex hiſce vero omnibus manifeſtum eſt, etſi jam ante Patricij nomine in Vrbem, in Papam, in Petri Patrimonium jus aliquod habuerit, cum Cæſareo tamen titulo longe ſplendidiorem & majorem auctoritatem Carolum eſſe conſequutum. Neque enim æquè magna Patricii atque Cæſaris auctoritas, nec Patriciatus forte hæreditarius tum fuit ſed ſuſpenſus ab arbitrio eorum qui Patricium conſtituebant.

CAPVT IIX.

Præter illud modò adſtructum dominium aliud nullum ad Francos cum Cæſareo titulo deveniſſe: dignitatis tantùm nonnihil pariter eos conſequutos.

IGitur, quicquid vel negent vel diſſimulent Hildebrandini, non dubium eſt in Carolo Magno ad Francos, adeoq; ad Germanos, dominium aliquod hæreditarium in Romam, Papam & Papalis Eccleſiæ Patrimoniũ, quod vocant, cùm titulo Cæſareo perveniſſe: an verò præter hæc alia ſub iſthoc Auguſto titulo Franci acceperint, inquirendum.

Cæterum in Occidente quidem nihil tum eorum, quæ quidem olim fuerunt in poteſtate Romanorum, præter illa pauca modo dicta, non erat vel in Cæſaris Conſtantinopolitanî, vel in ipſorum Francorum, vel Sarracenorum, Gothorum, Anglorum, Hunnorum, & ſimilium populorum ditione. In nihil autem horum Cæſareum aliquod jus à Romanis Carolum Magnum eſſe adeptum, per partes demonſtrabimus.

Atque initio quidem jam ex ſupra prolatis conſtat, non potuiſſe à Romanis juris quicquam dari Carolo in provincias jam à Sarracenis, Gothis, Anglis, Hunnis alijſque dudum occupatas: quippe quùm omne ſuum in provincias illas jus pridem amiſiſſent. Imò ne conatos quidem illos tale quicquam meritò dixeris, quùm nullum vel leviſſimum exſtet in omnibus ejus ævi monumentis ſignum ejuſmodi alicujus juris vel à Romano populo vel à Carolo jam Cæſare tanquam Imperatore ſibi arrogati.

Qui

Qui verò potuit de tàm magno negotio tàm altum eſſe ſilentium in omnibus ſcriptis, ſi quæ tùm verba de eo fuiſſent vel à Carolo vel à Romanis facta?

Majore veroſimilitudine adfirmaveris, voluiſſe Romanos juris aliquid largiri Carolo in Conſtantinopolitano Cæſari per occidentem poſſeſſa. Sed ne hoc quidem oſtendere eſt ullo idoneo ejus tempeſtatis teſtimonio. Vt verò id illi voluerint, id certum eſt Carolum omnia illa Græcis illis Cæſaribus ultro ceſſiſſe. Quomodo & ipſi tandem jura ſua, quæ videbantur ſupereſſe in Romanam Vrbem, Carolo detulerunt. Manifeſtum id eſt ex ſtudio illo Caroli omnem amovendi à ſe ſuſpicionem & concordiam cum Conſtantinopolitanis ineundi. Eginhartus: *Conſtantinopolitanis Imperatoribus ſuper hoc* (quod Cæſareo titulo adfici ſe paſſus eſſet) *indignantibus magna, tulit patientiâ: vicitq; eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præſtantior erat, mittendo ad eos multas legationes & in epiſtolis fratres eos adpellando.* Idem: *Imperatores etiam Conſtantinopolitani, Nicephorus, Michaël, & Leo ultrò amicitiam & ſocietatem eius expetentes complures ad eum miſere legatos: cum quibus tamen propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen & ob hoc iis quaſi qui Imperium eis eripere vellet, valdè ſuſpectū, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes ſcandali remaneret occaſio.* Annales Francici memorant pacis & fœderis ergò Carolum jam Cæſarem miſiſſe Conſtantinopolim Legatos anno ſeculi noni ſecundo ad Irenen; anno ſequenti ejuſdem cauſsâ cum literis ſuis remiſiſſe legatos Nicephori; bello pòſt exorto anno decimo *firmam pacē feciſſe*; ejuſdem pacis ſtabiliendæ cauſsâ ſequente anno Conſtantinopolim legatos Caroli miſſos; anno duodecimo confirmatam pacem cum Michaele Nicephori ſucceſſore, qui Carolum in

tabulis fœderis *Imperatoris & τῦ βασιλέως* nomine ſit dignatus; ultimo denique eam ſtabilitam, anno decimo quarto, quo Carolus objit, cum Leone Michaelis ſucceſſore. Ex quibus omnibus manifeſtò liquet nefas credidiſſe Carolum Græcos Cæſares pellere poſſeſſione ſuarum rerum. Quanquam vero haud exſtent fortaſſis hodie tabulæ fœderum, tamen vel ex iis, quæ ejus ævi commemorant ſcriptores, liquet, aliquam Italiæ partem Græcis Carolum ceſſiſſe, ne quid dicam de Dalmatiâ. Eginhartus diſertè ſcribit, *circà Calabriam inferiorem Græcorum ac Beneventanorum eſſe confinia.* Item: *maritimas Iſtriæ, Liburniæ, & Dalmatiæ civitates ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Annales Francici memorant anno ıↄ cccx captas à Pipino Caroli filio Venetias & redditas Nicephoro. Sigonius *l. IV de regno Italiæ* ſcribit in illo fœdere *nominatim expreſſum ut Veneti inter utrumq; Imperium poſiti liberi atque immunes & ab utroq; ſecuri viverent.* Quod, quoniam Annalibus hiſce ut & Eginharto eſt adverſum, haud facilè adſeveraverit quis fortaſſis, utut pro victoriâ maxima de Pipino eopſe anno à Venetis reportatâ multis pugnet vir doctus Nicolaus Craſſus *in notis ad Don. Iannotium.* Quicquid verò hujus ſit, vel ex hiſce ſatis conſtat, nihil Carolum propter nomen Imperatorium in Græcis Cæſaribus poſſeſſa ſibi arrogaſſe, adeoque nec opinatum illum, ſeſe quicquam in illa juris à Romanis nomine illo conſecutum.

De ijs quæ jam ante poſſidebat Carolus, quæque in ditione jam tùm erant Francorum, multò minus quidquam juris eſt adeptus. Bellarminus tamen *l. de translat. Rom. Imperij cap. IIX.* ſcribit, illâ Cæſarei tituli *communicatione factum eſſe, ut & ea quæ iam bello ſibi pepererat iuſto titulo*

ut legi-

ut legitimus Imperator poſſideret. Andreæ Alciati verba ſunt: *Igitur Carolus, Maximi hác expeditione apud omnes nomine adquiſito, nulli non formidabilis, cum arma per Germaniam omnem Pannoniaſq́; circumtuliſſet, & non Italiam tantùm ſed & Illyrici aliquas regiones Græco eripuiſſet: ut iuſtum aliquem titulum adepto Imperio prætendere poſſet, Cæſarem ſe & Romanorum Imperatorem à Pontifice populoq́; Romano deſignari procuravit.* In eándem ſententiam & alij diſſerunt. Verum enimvero quod Alciatus ſcribit procuraſſe ſibi Carolum nomen illud Cæſareum, id verò longè abeſt à vero. Teſtis enim omni exceptione major Eginhartus nos docet, Carolo nihil tale etiam cùm templum intraret ſperanti, imò recuſanti penè, titulum illum eſſe obtruſum. Nec alius ſcriptor quiſquam memorat quæſitam illam dignitatem à Carolo. Itaque hoc quidem mera & vana eſt Alciati ſuſpicio. Falſum porrò eſt & illud, vel Romanos voluiſſe dare vel Carolum ſibi dari à Romanis petiiſſe juſtum poſſidendi titulum ea quæ bello occuparat, quorum prius Bellarminus, poſterius adfirmat Alciatus. Vtrunque certè ſine ullo dicitur teſtimonio: imò repugnat plurimis ejus ævi actis, quod jam tum *capite quarto* multis demonſtravimus. Ipſe Bellarminus *reſponſ. ad arg. XVI. cap. XIII. l. I. de transl. Imperij Rom.* disertè fatetur ante, adeptum Imperatorium nomẽ *Galliam, Germaniam, Pannoniam, atque Italiæ partem quandam partim iure regio partim patricio Carolum poſſediſſe.* Eſt autem & Regium & Patricium jus legitimus aliquis & juſtus poſſidendarum provinciarum regionumque titulus.

Saltim itaque juſtitiæ poſſeſſionis per titulum illum nihil acceſſit. Itaque quaſi corrigens ſe ipſemet Bellarminus verbis ante laudatis adjungit: *Id igitur Imperij translatio efficit, ut Carolus-Magnus ea ipſa, quæ iam habebat, non tan-*

tùm ut Rex aut Patricius, ſed ut verus Imperator & Auguſtus retineret. &c. Cæterùm hoc iterum à vero eſt alienum. Nam quod verè & regio jure tenetur non magis teneri poteſt jure quodam Imperatorio. Imò illo ipſo Imperatoris titulo Regia poteſtas ſignificatur. Sanè ſubeſſe Imperatoribus Reges poſſunt: poſſunt autem & Reges Regibus ſubeſſe; quomodo nonnulli jam olim audierunt Reges regum. Verùm Reges qui ita ſubjecti ſunt aliis pleno regio jure non fruuntur. Francos autem liberâ & abſolutâ poteſtate imperaſſe provinciis bello ſibi acquiſitis, jam tùm ſupra oſtenſum eſt. Neque ullo licet teſtimonio probare, Romanum ſive populum ſive Pontificem Francis quicquam amplioris juris aut poteſtatis voluiſſe concedere per titulum Cæſareum, in ea quæ dudum poſſederant. Imo & hoc ſupra evictum à nobis eſt, Romanos eâ tempeſtate in illas Francorum regiones nihil quicquam juris ſibi arrogâſſe. Quid, quod nonnullæ eorum terræ fuerint tùm juris Francorum, quas nullo unquam tempore poſſedit Romanus populus? Ejus certè conditionis fuerunt pleraque Germaniæ Tranſrhenanæ. Neque ullum indicium in omnibus ejus ævi ſcriptis ſupereſt, ex quo colligas ipſos Francos crediſiſſe, hoc nomine Cæſareo Carolum novum aliquod jus in rempublicam ſuam adquiſiviſſe, aut Carolo tale quicquam fuiſſe perſuaſum: quin imò in planè contraria eos omnes fuiſſe ſententia, ſequente capite demonſtrabitur. Quis vero crediderit, jura quædam Carolo donata, quæ nec ipſis donatoribus nec ijs quibus donabatur in mentem venerunt?

Hiſce vero conſtitutis, manifeſtum eſt præter dominium, quod ſuprà adſtruximus, in nullam terram quicquam iuris cum Cæſareo titulo ad Francos perveniſſe. Præ-

ter

ter hoc tamen honoris aliquid videntur conſequuti. Scilicet apud omnes Chriſtianos ac moratiores gentes hactenus Cęſareum nomen præ Regio aliquam reverentiam meruit. Vtque alii non ſint minore erga ſuos poteſtate, imò potentiâ quoque prævaleant, communi tamen conſenſu primatus quidem illi Cæſareæ dignitati eſt attributus. Neque id nuper demum cœpit, ſed jam tum Carolina obtinuit ætate. Namque & in poſteris ejus qui hoc nomine audierunt, licet aliis cederent potentia & ætate, primum citra controverſiam locum obtinuerunt. Quod prolixè oſtendere non eſt hujus loci.

Quùm hæc pauca verò per illam Imperij tranſlationem fuerint Francis oblata, obiter hîc advertendum eſt, factum hoc perperam admodum ab Hildebrandinis in medium adduci pro adſerendo Pontificio in regna & imperia omnia dominatu. Præterquam enim quod tranſlatio illa non ſit facta unius Papæ auctoritate, ex omnibus ejus ævi monumentis liquet, Papam ipſum eâ quidẽ ætate nihil vel arrogaſſe ſibi in hoc negotio quàm jus primarii civis reipublicæ Romanæ. Vſque adeo ſanè id eſt verum, ut, cùm poſt obitum Ludovici II hæreditaria ſucceſſio Imperialis dignitatis, quæ Ludovico Germanico jure debebatur, factione Ioannis IIX Papæ infringi nonnihil inciperet, non illius unius tamen auctoritate vel tùm Carolus Calvus Cæſar dictus ſit. Liquidò id ipſum perſpicere eſt ex Actis coronationis Caroli, quæ poſt Papirium Maſſoniũ & Petrum Pythœum edidit Baronius inter res anno IↃCCCLXXVI geſtas. Verba ipſiuſmet Papæ Ioannis hæc tùm fuerunt: *Elegimus meritò & adprobavimus unà cum annisu & voto omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum atque aliorum S.R.Eccleſiæ miniſtrorum, ampliq; Senatus, totiusq; Romani Popu-*

ni Populi, gentisq; togatæ, & ſecundum priſcam conſuetudinem ſolenniter ad Imperij Romani ſceptra proveximus. Quæ verba liquidò monſtrant, ſine cauſsâ Baronium grandiuſculis litteris heic adnotâſſe: *Ioannes Papa eligit & confirmat Imperatorem.* Item: *Romani Pontificis eſt eligere & comprobare Imperatorem.* Certè quis non videt, ne Ioannem quidem alium ſe geſſiſſe quàm civem Romanum? Vt nunc taceam quàm perperàm colligat Baronius, jus eligendi Imperatoris competiiſſe tùm Pontifici, ex facto illo Papæ iniquo & tùm etiam à multis improbato. Vno verbo, omnis illa tranſlatio & electio, ſive juſta ſive injuſta fuerit, nihil facit ad probandum, Hildebrandinam omnipotentiam illi quoque tempeſtati fuiſſe cognitam.

Licet porrò ex iis quæ adduximus colligere, non eſſe quod Pontificii glorientur de magnis adeo beneficiis in Francos collatis ob Cæſareum jus conceſſum. Omnia nimirum illa, quæ Francorum Imperio ſubjecerunt, Francicis antehac armis erant aut parta aut ſervata, & Pontificibus liberè donata. Neque illa niſi exiguam Italiæ portionem conſtituunt. Nec Papa abſque Francorum præſidio ſeſe atque ſua tùm potuit tueri. Verùm hæc fortaſſis extra oleam ſunt, quod dici ſolet.

CAPVT IX.

A Caroli uſq; ad Ottonis Magni Imperium ne quidem Italiam Langobardicam aut Germaniam, multo minùs alias provincias Tranſalpinas fuiſſe partes Imperij Romani habitas.

IN Galliam Germaniam ac Langobardorum in Italiâ regnum, quæ Franci poſſidebant, in reliqua item Occidentis olim Romano populo erepta, nihil juris Carolo Magno

Magno per nomen Cæſareum eſſe conceſſum, ſat multis eſt demonſtratum. Fortaſſe verò Franci aliique populi ſponte ſuâ in rempublicam Romanam redierunt atque, ita regiones illæ partes denuò factæ Romani orbis & Imperij. Cæterùm ne hoc quidem factum eſſe unquam, ſaltim toto illo intervallo temporis, quod Carolum inter ac Ottonem Magnos porrigitur, nunc evincemus.

Atque Pannoniam quidem vel Daciam vel Hiſpaniam vel Britanniam Romano ſeſe Imperio rursùm dediſſe, nemo hactenus vel per ſomnium fortè adſeruit. Multo minus verò id egerunt Septemtrionales populi, Dani, Suecones, Moſchi, Poloni, Lituani, alii, quorum terræ nunquam antehac fuerant Romani juris. Itaque hoc quidem extra controverſiam eſt collocandum.

At ea quæ Franci tenuerunt majori veroſimilitudine quis crediderit in Romanam ditionem iterum tranſiiſſe, præſertim quùm conſtet Carolum ipſum Romanæ urbis incremento ſtuduiſſe. Exſertè Eginhartus: *Nec ille toto regni ſui tempore duxit antiquius quàm ut urbs Roma ſuâ operâ ſuoq; labore vetere polleret auctoritate.* Verum enimverò, nullo ſanè teſtimonio conſtat, Caroli poſterorumque ætate ejuſmodi quidquam eſſe conſtitutum. Nec tamen monumenta ejus ævi rem tanti momenti non prodidiſſent. Quin etiam plurima ejus temporis acta illi rei quàm maximè adverſantur. Certè quo tempore Carolus dictus eſt Cæſar non in tale aliquid eſt contractum inter Francos & Romanos. Nam uni Carolo non licuit diſponere ordinibus inconſultis de republicâ Francorum. Illo autem die non profectò hac de re quenquam primatum conſuluerat Carolus, quippe cui prorſus nec opinanti titulus ille eſt oblatus. Eginhartus teſtis eſt dicere ſolitum Carolum: *Seſe eo die,*

quam-

quamvis præcipua ſolemnitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet. Idem porrò jam tùm Cæſar titulos regni Francorum & Langobardorum à Cæſareo nomine accuratè diſtinxit. Quo profectò oſtendere voluit, diverſo jure hæc omnia ſe tenere. Tabulæ, quibus Oſnabrugenſem Epiſcopatum inſtituit anno noni ſeculi quincto, his verbis initium capiunt apud Crantzium *l. I. Metropol. cap. LI. Carolus Imperator Auguſtus Romanorum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum, & Langobardorum, Friſiorum dominator & Saxonum.* Sequente anno Teſtamentum ſuum idem Cæſar hiſce verbis eſt exorſus: *Imperator Cæſar Carolus Rex Francorum & Romani tutor Imperij.* Ex ipſo teſtamento, quo provincias ſuas inter tres filios diviſit, liquet, ſingulis ſua eſſe data cum abſoluta & ſumma regnandi poteſtate, nullatenus vero Romano Imperio ſubdita. In ultimo quoque ejuſdem Teſtamento quo de mobilibus bonis diſponit, apud Eginhartum, ſeorſim numerantur anni regni Franciæ, regni Italiæ & Imperij. Hanc Caroli fuiſſe mentem notatum eſt & Paulo Æmilio *in eius vitâ.*

Abſtinuit quidem varjis illis titulis Ludovicus Pius, uno Cæſareo nomine plerunque contentus. Videtur quoque initiò, diviſo in partes regno, voluiſſe reliquos filios Reges dictos primogenito Imperatori ſubjici. Verùm & ille mutavit poſt ſententiam, quâ de cauſsâ maximè contra patrem inſurrexit Lotharius: nec liquet unquam illum omnia Romano Imperio voluiſſe ſubdere. Certè ad ultimũ filios omnes ſibi ſuccedere voluit pari quemque poteſtate.

Poſt obitum Ludovici Pij veniſſe videri queat hęc res in contentionem. Lotharius enim filiorum natu maximus primogenituræ & Cæſarei nominis, quod ſibi ceſſerat, præ-

prærogativâ jus aliquod ſibi in fratres arrogavit. Verùm bello hinc exorto & graviſſimè eſt adflictus &, libertatem ſuam fratribus egregiè tuentibus, omni ſpe ſua cadere eſt coactus. Eâ de re Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, vir pro ſeculi captu ſanè inſignis, in hæc verba ſcribit ad Ludovicum Balbum regem ſuum *Ep. 1. cap. IV. Qui cum Lothario erant immiſerunt illum in hoc, ut fratres ſuos exheredaret, & regni primores qui cùm illis erant annullaret, quoniam ipſe primogenitus & in nomine Imperatoris erat. Illi autem qui erant cum Carolo & Ludovico dicebant, quod Seniores illorum* (id eſt, domini ſui Carolus & Ludovicus) *Lotharij fratres erant & ſacramento regnum inter illos diviſum fuerat, & illi nec genere nec poteſtate inferiores erant, & ideò non ſe contrà illos concederent.* Omnem illam fraternam contentionem prolixè perſequitur Nithardus, Berta Caroli Magni filia natus, *l. IV* qui poſt duas maximas clades, à ſupplice Lothario legatis miſſis Ludovicum Germaniæ & Carolum Galliæ reges oratos eſſe narrat; *Si vellent illi aliquid illi ſupra tertiam partem regni propter nomen Imperatoris quòd illi pater illorum conceſſerat & propter dignitatem Imperij quam avus regno Francorum adjecerat, facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius ſibi concederent, regeretq́ quiſq; illorum portionem regni ſui prout melius poſſet; frueretur alter alterius ſubſidio & benevolentiâ.* Et vero poſterius placuit. Itaque Ludovico ceſſit Germania pleno jure & nulla in re dependens ab Imperio Romano gubernanda, non minùs atque Gallia Carolo. Non latuerunt hæc Baronium. Itaque ad annum IↃCCCXLIIX Tritheminum hiſce verbis accuſat: *errat dum ait iuſſu Lotharij conveniſſe* (Germaniæ Epiſcopos) *cùm id factum per Ludovicum regem eſſe in regno ipſius non ſit dubium. Nam nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſ-*

ponendi aliquidem regno Germaniæ, ſpectante ad Ludovicum, certum eſt. Etſi vero iſthoc loco rectè in Tritthemium Baronius animadvertat, tamen nec Tritthemium ipſum fugit illa Germaniæ ac Galliæ libertas. *Diſertis enim verbis præfatione chronici Francorum* ita loquitur: *Ludovico Pio mortuo filij eius regnum Francorum in partes diviſere quamplures. Illis etiam vita defunctis eorum nepotes denuò regnum Francorum tali modo in duo principaliter diviſerunt regna, quorum alterum dicatur ſit & permaneat Germanicum, alterum vero Gallicanum, neutrumq; ſit alicui ſubiectum. Et hæc partitio talis eſt, ut ſequitur: Regnum Francorum Germaniæ perpetuò per ſe habeat proprium regem, nulli penitus mortalium, ne Romano quidem Imperio ſubiectum, ſed priſtina Francorum conſuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum Gallorum à noſtro diviſum ſimili modo regem, ut conſtitutio ſonat, proprium habeat liberum, qui non minus quàm Rex Germaniæ liber ſit & nulli omninò ſubiectus. Manifeſtum enim eſt, quod Franci ab origine ſemper fuerint liberrimi, & neque Romanis neque alteri alicui genti unquam ſervierint aut extiterint ſubiecti. Quin potius ipſi deſtruxerunt Romanorum Imperium ſibiq; fecere ſubiectum. Et propterea reges ambo in diviſione regni priſtinam libertatem Francorum ubiq; alter alteri illæſam ſervare ſtatuerunt.* Ita Tritthemius *l. c.* Non minus accuratè verò Germanicum & Langobardicum regnum ille ab Imperio Romano diſtinguit ſub finem *libri de Origine Francorum.* Verùm alia ejus verba infrà in medium afferemus. Nec ipſum vero Lotharium voluiſſe provincias, quas petebat, verè Romani Imperij partes efficere, patet inde quod anno ↄↄcccLV. Ludovico primogenito Italiam quidem cum Cæſareo titulo dederit, non minus tamen αὐτοκρατορίαν conceſſerit Lothario filio in pleraq; Lotharingiæ & Carolo in Galliam provincialem.

 Sed

Sed & hi fratres abſoluta poteſtate ſuis provincijs imperarunt, nullo habito reſpectu Romæ. Quo liquet hactenus Tranſalpinas ſaltem provincias extra ambitum Romani Imperij habitas eſſe.

Porro & poſt Ludovicum Germanicum, quem pro libertate regni ſui contra Lotharium fratrem depugnaſſe modò diximus, plerique ejus poſterorum ne quidem affectarunt Imperatorium nomen, tantum abeſt voluiſſe eos vel ſua conjungere cum Romanis vel ijs ſubjicere. Filij Ludovici tres, diviſâ inter ſe Germaniâ; quiſque ſuæ parti cum ſumma præfuit poteſtate. Nec vel Carolus Craſſus vel Arnolphus niſi ad breve tempus Imperatores audierunt. Ludovicus Arnolphi filius ejuſque ſucceſſor Conradus Franconiæ dux, ne affectato quidem Cæſareo nomine, diu imperarunt.

Poſt qui Germaniæ præfuerunt Henricus I & Otto Magnus, uſque ad annum certè Christi IↃCCCCLXII, quo ille demum Cæſareum titulum adeptus eſt, libera & abſoluta poteſtate itidem Germaniam rexerunt. Nec vel illâ ætate viſi ſunt Germaniæ præeſſe aliter quâm Reges Francorum. Hinc VVitikindus *l. I.* ſub finem de Henrico Rege: *ipſum Oddonem qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit.* Idem *l. II.* teſtatur Ottonem, cùm coronaretur, inceſſiſſe indutum *tunica strictâ more Francorum*, cumque inter alia ipſi ſacer enſis ab Archiepiſcopo Moguntino traderetur, ita hunc locutum: *Accipe hunc gladium, auctoritate divinâ tibi traditâ omni poteſtate totius Imperij Francorum.*

Haud me latet à ſcriptoribus quibuſdam Cæſaribus annumerari pleroſque Germaniæ modò enumeratos reges, cumprimis vero Henricum primum. Verùm repu-

gnare id ipſis Regum Germaniæ tabulis & optimis antiquiſſimiſque monumentis rectè demonſtratum eſt ab Onuphrio Panvinio *l. de comitiis*, *ac* Bellarmino *l. 11. de translatione Imperij cap. 11.* Nec vero quis ſcriptorum habuit illos Cæſarum in numero, niſi poſtquam Germania Imperij Romani nomine vulgò cœpit audire: cujus originem infrà narrabimus. Non mirum igitur eſt imperitiores aliquos Germaniæ regibus omnibus Cæſarium nomen tribuiſſe. Non facit profectò ad hanc rem, quod VVitikindus ſcribit *l. 1.* Henricum I poſt victoriam Hungaricam *ab exercitu patrem patriæ, rerum dominum, Imperatoremq́, appellatum*; aut quod *ſecundo libro* ſcribit iterùm de Ottone nondum Cæſare, illum itidem poſt cladem Hungaricam *ab exercitu patrem patriæ Imperatoremq́, appellatum.* Fuere enim hæ tantùm acclamationes militares, nec aliàs fortè uſitatæ. Tùm vero quùm Germanus miles vernaculâ linguâ indubiè ſit uſus, fortè haud multùm abſimiles voces Latinè ſic reddidit VVitikindus, ſciens in hunc modum Latinum militem ſuis olim acclamaſſe principibus.

Verùm Germaniam quidem omni illo temporis ſpatio liberam fuiſſe rempublicam à Romano Imperio disjunctam ſatis claret. De Italia poſſit cui dubium videri. Verum enimverò ex Actis Coronationis Caroli Calvi conſtat, initio Carolum à Romano Papa & populo creatum Cæſarem, inde vero ſeorsùm ab Italiæ optimatibus electum eſſe in Regem Italiæ. Litteræ ipſæ optimatum etiamnum inter Acta illa ſuperant. Poſt Ludovici Balbi obitum Ioannes VII Papa monuit quidem Italiæ Principes ne quem ſibi regem conſtituerent ſe inconſulto: *Nam ipſe*, ſcribit, *qui à nobis eſt ordinandus in Imperium à nobis primùm debet eſſe vocatus atque electus.* At fatetur Baronius

anno

anno ıↄcccLxxıx Carolum Craſſum eopſe anno conſtitutum eſſe regem Langobardorum, biennio demum pòſt Cæſarem creatum: *interea Papam de perſona Caroli eligendâ in Imperatorem nutantem & fluctuantem, de eius germano Ludovico aſſumendo agere cœpiſſe.* Quæ res docent, Optimates Italiæ Langobardicæ ſuum regnum crediſſe non dependere à Romano Imperio. Tradunt alii poſt Craſſi tempora deliberatum de conſtituendo Italiæ rege cum titulo Imperatorio. Vt autem hoc verum ſit, attamen neque à familiâ Carolinâ ſuperſtite, cui hæreditarium jus competebat in regnum Langobardicum, neque â Proceribus Italiæ, qui ſui arbitrii fecerunt Regum electionem, in id unquam conventum legas. Itaque multi electi ſunt reges Langobardorum Imperatorio nomine haud ſuſcepto. Omnes certè liberè à Langobardicis proceribus electi, ne in conſilium quidem vocato vel Papa vel Romano populo. In hunc modum profectò nunc Berengarius Dux Forojulienſis, mox Lambertus, iterum Ludovicus Burgundus, modo Rudolphus Burgundus, rurſus Hugo Arelatenſis, ejuſque filius Lotharius, nec non denique Berengarius Eporegiæ Marchio ab Italiæ optimatibus inconſulto vel populo vel Pontifice Romano imò his nihil contrà nitentibus, Italiæ reges ſunt creati Papiæ, regni Langobardici urbe metropolitanâ. Diſcere hæc omnia licet ex libris Luitprandi Ticinenſis ejus ævi ſcriptoris

Ipſe quoq; Otto Magnus multò antequam Imperator audiit, inconſultis omnibus Romanis, ne Papa quidem ipſomet excepto, Langobardicum regnum in ſuam poteſtatem redegit. Nec ipſe hoc nomine ſe Romano credidit aut Imperio aut populo aut Pontifici obſtrictum. Nam-

que anno I Ↄ CCCCLI invitatus ab Adelheide vidua Lotharij regis, quam & mox in matrimonium duxit, fudit omnique poteſtate exuit Berengarium regem Italiæ ejuſque filium Adelbertum. VVitikindus Corbejenſes *l. III* ſcribit Ottonem *cum Adelheide Papiam quæ eſt ſedes regia obtinuiſſe.* Sequenti anno I Ↄ CCCCLII Berengarius & Adelbertus in gratiam recepti feudi jure ab Ottone regnum Langobardicum recuperarunt. Illam rem ita narrat continuator Reginonis: *Berengarius cum filio Adelberto ſeſe ſubiiciens Ottoni, ab eo ut ſubditius recipit regendam Italiam.* Iiſdem verbis utitur ipſe Baronius tomo X Annalium ad annum I Ↄ CCCCLII. VVitikindus ita loquitur: *Cùm conventus fieret, Berengarius manus filij ſui Adelberti ſuis manibus implicans renovata fide, coram omni exercitu, famulatui Regis ſe cum filio ſuo ſubiugavit: & ita dimiſſus in Italiam remeavit cum gratia & pace.* In feudum itaque Beringario contulit Otto regnum omne Langobardicum & quidem liberrimè nulli propterea quicquam debens. Ita ille obligatam ſibi Italiam tenuit integrum decennium, donec ſcilicet à Papâ & multis Langobardici regni Proceribus contra Berengarij tyrannidem invitatus Italiam inſtructo exercitu intravit. Narrat Baronius ad annum I Ↄ CCCCLXI, ex antiquâ Beneventanorum Ducum hiſtoriâ, quo tempore expeditio illa eſt inſtituta, Proceres Italiæ, adpropinquante jam Ottone, Adelberto filio Berengarij dixiſſe: *Vellemus Domine ut Papiam cum paucis pergas & tuo genitori dicas quatenus Langobardorum regnum ſub veſtra ditione committat, quia nos minimè ſub illius poteſtate ampliùs iam durabimus. Si vobis committit regnum, nos totis viribus pugnabimus; ſin autem; Italiæ regnum extero regi committemus.* Idipſum autem cùm Adelbertus non potuiſſet impetrare, Proceres omnes Berengarium

garium pariter & Adelbertum deſeruiſſe. Addit autem ille ſcriptor: *Itaque Otto rex ſine impedimento in Italiam introivit atque Italiæ regnum obtinuit.* Luitprandus, qui itidem eo tempore vixit, in narratione legationis Conſtantinopolitanæ, quam à Caniſio editam inſeruit decimo Annalium tomo ad annum ꟾↃ CCCCLXIIX Baronius, ita rem omnem narrat Nicephoro Imperatori: *Palam eſt quod Berengarius & Adelbertus ſui milites* (i. e. Ottonis vaſalli) *effecti regnum Italicum ſceptro aureo ex eius manu ſuſceperunt, & præſentibus ſervis tuis qui nunc uſq. ſuperſunt jurejurando fidem promiſerunt. Et quia hanc perfidè violarunt juſtè illos quaſi deſertores ſibiq. rebelles regno privavit.* Ex verbis Procerum profectò conſtat, exiſtimaſſe illos, ſui juris eſſe regnum illud *etiam extero regi committere.* Neque Otto dubitavit in rebellem animadvertere & ſibi vindicare omne illud regnũ. Sequente autem demùm anno ille Imperator eſt creatus. Neque vel Romanus populus vel Pontifex cum eo expoſtulavit de regno aliquo, quod ad ſe pertineret, occupato.

Igitur etiam de Italia ipſa Langobardica licet adfirmare, manſiſſe illam liberam rempublicam a Romano Imperio diſtinctam, uſque ad Ottonis Magni Imperium, non minus atque Germaniam. Sunt autem hæc uſque adeo certa, ut haud facilè liceat reperire ejus ævi aliquod monumentum, unde colligas vel rudem plebem aliter tum aut ſenſiſſe aut eſſe loquutam. Non ſanè eſt quur quis adferat nobis Gotfridum Viterbienſem, qui cùm narrâſſet Lotharium Imperatorem regni ſui tres in partes diviſi partem unam, Italiam ſcilicet, cum Imperatorio nomine majori natu filio tribuiſſe, addit: *Vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenerit, ut in tres partes diviſo regno Francorum tertiæ partis tertia pars eſſet Imperium.* Similiter

liter nec objici nobis debet Otto Friſingenſis, qui, cùm egiſſet de diviſione regni Francici inter filios Ludovici Pij inſtitutâ, ita loquitur *l. V. c. XXXV: Ex hinc diviſo Francorũ regno, regna modo duo Orientale & Occidentale* (*quorum alterum* (Orientale) *partem Ludovici ac Lotharij, ſedemq; regni Francorum palatium Aquiſgrani, ac Imperium urbis Romæ habet: aliud verò* (Occidentale) *quod adhuc Francorum, ideo quod iſtud Romanorum vocatur, adpellatum, partem Caroli obtinet*) *inveniuntur.* Hæc, inquam, objicienda nobis non ſunt. Loquuntur enim Scriptores illi ex more ſui ævi, quod in Friderici Barbaroſſæ Imperium incidit. Haud diffitemur tamen, nonnunquam etiam à ſcriptoribus antiquioribus *imperij & imperandi* vocabula de regnis illis liberis uſurpari. Quid autem notius eſt, quàm illas voces nonnunquam imo ſæpiſſimè Imperium Romanum non ſignificare?

CAPVT X.

In Ottone Magno per Cæſareum titulum Germaniam accepiſſe Imperium aliquod ſummum perpetuum in Vrbem Romam, Papam ac Patrimonium Eccleſiæ Romanæ.

EXiguam tantum Italiæ portionem Imperii Romani nomine uſque ad Ottonem Magnum veniſſe, & tametſi illud Imperium juris Francici ſit factum ætate Caroli Magni, tamen neq; tunc nec omni poſt tempore vel omne Francorum regnum vel ejus aliquam portionem & nominatim neque Germaniam neque Italiam illius Romani Imperij partes habitas eſſe, perſpicuum jam fecimus: conſequens eſt uti nunc inquiramus, an mutata hæc ſint poſtquam Imperatorium nomen in Ottonem atq; ſucceſſo-

ſucceſſores eſt derivatum. Quod ipſum accuratius fiet ubi expoſuerimus prius quid Ottoni & ſucceſſoribus cum Imperatorio illo titulo ſit collatum. Et quidem Ottonem conſequutum tandem eſſe Cæſareum nomen, non minus eſt certum atque idem illud obtigiſſe Carolo Magno. Neq; multum dubitaverim ijs accedere, qui omne illud iterum auctoritate & Pontificis & populi Romani geſtum arbitrantur. Neque enim nunc diſputaverim, jure an injuria Francorum dominium Romani illi excuſſerint: id certum eſt, ut Caroli ætate ita & ævo Ottonis libertatem illos ſibi arrogaſſe adeoque ſui arbitrii cenſuiſſe Imperatoris quem vellent eligendi poteſtatem. Neque vero etiam tùm Papæ omnipotentiam aliquam Hildebrandinam regnorum imperiorumque transferendorum ſibi tribuebant. Quantumvis etiam hoc ex facto illam aſtruendam ſibi ſumant hodiè portentoſæ illius omnipotentiæ patroni. Neque tùm nulla amplius erat Senatus populique Romani auctoritas. Quin videntur nonnulli ex populo, poſt Cæſarum Francorum potentiam deletam, penè omnem rempublicam Papaſq; ipſos, Thuſciæ Marchionum auxilio freti, ſuam in poteſtatem redegiſſe. Formoſum Papam vehementer afflixiſſe Romanos, ut Rex Arnolphus in Papalis *injuriæ vindictam multos Romanorum principes* decollari fecerit; teſtis eſt Luitprandus *l. I. cap. IIX.* Idem *l. III. c. XIII. Hoc tempore Romanæ ſedis Ioannes Ravennas ſummum Pontificatum tenebat. Hic autem ti mn fando ſcelere contra jus faſq; Pontificium culmen obtinuit. Theodora ſcortum impudens, hujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia, Romanæ civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat.* Hac Theodora natam Maroziam, nobile item ſcortum, haud minore fuiſſe per urbem potentiâ, colligas ex

eidem Luitprando narratis *l. III. cap. XII.* Vbi & hoc docet, poſt regem Hugonem, Romanos cives Albericum, Maroziæ filium, *dominum ſibi elegiſſe: & cum Marozia matre Romanæ Vrbis monarchiam Albericum tenuiſſe.* Hic vero quanta fuerit potentiâ per urbem vel ex his Frodoardi, quæ & Baronius habet ad annum I) CCCCLII, perſpicere eſt: *Otto Rex cùm invitatus eſſet ab Agapeto Papa venire Romam, prohibente Alberico Principe, venire non potuit, & licet id ipſe Rex miſſa legatione petiiſſet non impetravit.* Iidem notant ad annum I) CCCCLIV: *Alberico Patricio Romanorum defuncto, filius ejus Octavianus, cum eſſet clericus, Principatum adeptus eſt.* Hic vero eſt ille Octavianus qui non multo poſt Ioannis XII nomine aſſumpto Papa creatus eſt: ut Baronius putat, retenta ſibi Vrbis tyrannide. Quod tamen haud certo equidem adſeruerim. Vtut ſit, non in unius Papę manu, in quantum ille eſt Papa, fuiſſe tum rempublicam Vrbis, certum eſt. Populi vero ſimul auctoritate Ottonem creatum eſſe Cæſarem, diſerte nos docet Regino: *Rex natalem Domini celebravit* (Papiæ) *indeq; progrediens Romæ favorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius Romani populi & cleri, ab Apoſtolico Ioanne Alberici filio Imperator & Auguſtus vocatur & acclamatur.* Igitur etiam tunc Papa in Cæſare creando egit primarium civem Romanum, non vero vicedeum aliquem & omnium regnorum monarcham. Quemadmodum autem hoc certum eſt, ita non adeo hic diſputaverim, quod & ante dixi, jure an injuria exiſtimaverint tùm Romani ſui arbitrij eſſe Cæſaream electionem; & num Germaniæ regno jam ante competierit jus aliquod ad Cæſaream dignitatem. Neque vero facilia hæc ſunt definitu fortaſſis: præſertim quum haud liqueat Regnum Germaniæ ſibi tum temporis præ Francis Occidentalibus Romani Imperij aliquod jus arrogaſſe. Verùm

Verùm ut largiamur, Papæ populiqueRomani libero decreto Ottoni conceſſam eſſe Cæſaream dignitatem; quod hujus inſtituti eſt potius agemus, diſquiſituri ſcilicet, numquid illa quæ Carolus Magnus olim, etiam Otto per titulum illum ſit conſequutus, an vero plura illis, num denique pauciora.

Cæterum ſummum Imperium Vrbis Romæ Ottoni conceſſum eſſe manifeſtum facit ipſum Imperatorium nomen quod illa tempeſtate utique dominium Vrbis ſignificabat. Confirmat idem juramentum fidelitatis quo ſeſe Ottoni obſtrinxerunt Romani cives & quidem tribus vicibus. Diſertè Luitprandus, vel ſi quis alius eſt auctor eorum quæ à capite VI uſque hiſtoriæ Luitprandi ſunt aſſuta, quem tamen rebus omnibus illis interfuiſſe conſtat, de Ottone jam Cæſare uncto: *Iusiurandum vero ab eodem Papâ Ioanne ſupra pretioſum corpus Petri, atque ab omnibus civitatis Proceribus ſe nunquam Berengario atque Adelberto auxiliaturos*, *accepit*. Idem: *Cives Imperatorem cum ſuis omnibus in Vrbem ſuſcipiunt Fidelitatemq; promittunt: hæc addentes atque firmiter jurantes nunquam ſe Papam electuros aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem domini Imperatoris Ottonis Cæſaris Auguſti filijq; ipſius Regis Othonis.* Etiam tertiò Romanos illos cives fidelitatem juraſſe Ottoni poſt tumultum in Vrbe excitatum ſcribit Regino. Ottonem porrò anno IↃCCCCLXII conſules Romanos Italia expuliſſe, Tribunos ſuſpendio necaſſe, Præfectum Vrbis nudatum aſino impoſuiſſe, & utre indutum ac circumductum, virgis denique cæſum, in carcerem conjeciſſe, etiam Baronius memorat. Vnde nemini non liquet Ottonis in Vrbem Imperium. Poſt obitum Ottonis II, & puero etiamnum Ottone III, integrum

triennium Theophanem Imperatricem Romæ rempublicam gubernaſſe, liquet ex Lamberti Aſchafnaburgenſis *Chronico*. Ipſe Otto III in *tabulis Sylveſtro Papæ datis* Romam appellat ſuam urbem regiam. Quomodo in Creſcentium, Vrbis Principatum ſibi arrogantem, idem ille Otto III animadverterit, prolixè narrat Glaber Rodulphus & ex illo Baronius ad annum ıↄ ccccxcvı. Eodem penè modo rebelles *Romanos cives* & tumultuantem rempublicam Conradum II Cæſarem anno cıↄ xxxııı compeſcuiſſe & redegiſſe rurſum in ordinem, teſtantur multi.

Aliorum Cæſarum, uſque ad Hildebrandi Papæ tempora, per Vrbem vim & auctoritatem demonſtrare ſuperſedeo; ne videar velle probare quæ ſunt extra controverſiam. Nec tamen ego aſſeveraverim abſolutum Vrbis Imperium Ottoni datum, ſed ſummam juriſdictionem: quod ad Imperij vim ſatis eſt. Non verò eſt quur quis objiciat illa verba quæ habentur in juramento Ottonis, quod Romam invitanti ſe Ioanni Papæ dicitur tranſmiſiſſe, habeturque apud Gratianum *diſt. LXIII cap. XXXIII: Et in Romana Vrbe nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent ſine tuo conſilio.* Illa enim cum Ottone pacta ſunt nondum Imperatore: poſtquam vero Imperatorem illum creare placuit Papæ, alia ipſi poteſtas obtigit. Ideoque non dubitavit Otto jam Cæſar Synodum indicere Romæ, haud profectò Papæ conſenſu ante implorato: neque Papa Ottonem perjurij tamen accuſavit; quod utique haud neglexiſſet.

Multo minᵘ verò opponi debet donatio Ottonis Magni, cujus tabulas ex Vaticanâ Bibliothecâ depromſit Baronius ad annum ıↄ cccclxıı: ubi Otto inter alia fatetur: *Prædeceſſores Papæ Ioannis in ſua poteſtate atque ditione tenuiſſe & diſpoſuiſſe*

ſuiſſe civitatem Romanam cum Ducatu ſuo &c. idque ipſum confirmat. Quis enim illis tabulis tutò credat quas nunc demum prodit Baronius, nemini alij antehac memoratas? Certè Baronius neminem laudat qui harum tabularum vel obiter meminerit. Videtur, fateor, ſimiles vidiſſe Raphaël Volaterranus. Verè autem hæ ab illis diverſæ ſunt. Longè certè hæ ſunt liberaliores illis Raphaëli viſis. Vt etjam ſic fictio pelluceat. Neque vero quem temerè latet, quàm felices ſint Romani in hujuſmodi tabulis donationum fingendis: notæ fabulæ ſunt de donatione Conſtantini; quarum nunc ut pudeat curiam Papalem ipſam cruda tandem veritas expreſſit. Non urgebo nunc quàm multa in his Baronianis tabulis falsò memorentur à Pipino & Carolo donata: non urgebo ſubſcripta tabulis nomina eorum Germaniæ Epiſcoporum quos illi Italicæ expeditioni non interfuiſſe colligere eſt ex nominibus Epiſcoporum, qui Romanæ Synodo paulo poſt interfuerunt, recenſitis à Luitprando *l. VI. cap. VII:* ne id quidem urgebo quod anno demum ıↄccccLXVII, Reginone teſte, Otto Papæ *Vrbem & terram Ravennatium aliaque complura multis retrò temporibus Pontificibus ablata reddiderit*: Illud unum ſatis puto infringendis hiſce tabulis, quod nemo poſteriorum Pontificum tabulis illis Ottonianis pro teſtimonio ſit uſus, cùm tamen plurima loca, in ijs tabulis memorata, ſemper fuerint in manu Cęſarum. Vt vero fidem illis tabulis haud negaveris, etiam illę tamen ita profitentur donata multa Papæ Romano ut ſupremum jus manſerit Imperatori. *Salvâ*, inquiunt, *in omnibus poteſtate noſtrâ & poſterorum noſtrorum.* Sub finem earum legitur: *Miſſi domini Apoſtolici ſeu Noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim Nobis vel Filio Noſtro renunciare debeant, qualiter ſinguli Duces ac*

judices Populo juſtitiam faciant. Hanc Imperialem conſtitutionem quomodo obſervent qui Miſſi, decernimus, ut primùm cunctos clamores qui per negligentiam Ducum ſeu judicum fuerint inventi, ad notitiam domini Apoſtolici referant, & ipſe unum è duobus eligat aut ſtatim per eoſdem Miſſos faciat ipſe neceſſitates emendari aut Miſſo noſtro Nobis renunciante, per noſtros Miſſos cuncta emendentur. Hæc ibi. Vnde patet, etiamſi his tabulis ſit fidendum, ſupremam abſolutamq; juriſdictionem non fuiſſe Papæ tranſcriptam. Sed non eſt, uti hiſce commentis quicquam fidei habeamus.

Verum fortaſſe quis opponet eas quæ ſub Henrici II nomine circumferuntur tabulæ, quibus itidem Regia omnis poteſtas in Vrbem & Petri, quod vocant, Patrimonium Papis tranſcribitur. Venditat illas ſanè Baronius pro genuinis ad annum MXIV. Verùm cùm impoſturam etiam hanc ſatis benè detexerit Melchior Goldaſtus in Rationali ſuo ac Replicatione *pro Imperio contra Gret-erum cap. XXXIII*, non eſt cur illæ tabulæ nos turbent. Vt vero & admiſeris illas; quum tamen etiam in his totidem verbis habeantur illa, quæ modò ex Ottonianis adduximus, ſic quoque integram manſiſſe Cæſaream auctoritatem conſtat.

Hoc loco annotandum eſt, etiam Ottonis III ætate Romanos Papas in Vrbem & Italiæ multa loca abſolutam quandam poteſtatem cœpiſſe ſibi arrogare, prætendentes donationem Conſtantini Magni & Caroli Calvi. Et vero à Carolo illo Calvo multum imminutam eſſe Regiam in Vrbem auctoritatem ex *Appendice Eutropianâ* ſuprà narravimus: omne tamen Vrbis dominium ne illum quidem Papis legas conceſſiſſe. Neque alius quis in illa Caroli conſenſit. Imo à Carolomanno Germanico Carolus

rolus ille ut qui præter fas Cæſaream ſibi dignitatem ſumpſerit, Italia fugatus eſt. Conſtantini vero donatio tota eſt improbiſſimi nebulonis cujuſdam commentum. Quo de dubitare poſt Baronij confeſſionem forſan nec audebit imposterum quis Hildebrandinorum. Vtrumque vero Otto ipſe III Cæſar, & Conſtantini ſcilicet & Caroli donum, exploſit admonitus, quantum apparet, à Sylveſtro II Papâ, quo nemo curiæ Papalis fraudes ſcelera & inſoleſcentem arrogantiam majore aut candore aut animo eſt inſectatus; cumque tum Romani Papæ Patrimonium ſuum penè omne dilapidaſſent, donavit quidem ille denuò Romanæ Eccleſiæ octo Comitatus: *Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Faſſubium, Callium, Heſium & Auſimum*, Romanæ tamen ipſius Vrbis imperium non donavit, quin videtur revocâſſe illa à Carolo Calvo conceſſa. Tabulas ipſas Cæſareas ipſemet Baronius edidit tomo XII Annal. ad annum CIↃCXCI, & inſigni commentario illuſtravit Marquardus Freherus. Haud neſcio in dubium vocari à Baronio fidem illarum tabularum; at id tamen ſaltim eſt certum, fatente Baronio, inventas illas tempore Benedicti XII *in ipſo theſauro Eccleſiæ Romanæ*, & authenticum quod vocant exemplar in lucem vindicandum juſſiſſe ipſum illum Papam. Ipſemet quoque Baronius, harum tantùm tabularum teſtimonio ſuffultus, auctorem ementitæ donationis Conſtantinianæ facit Ioannem Diaconum. Neque Baronius quidquam aliud quod videri alicujus ponderis queat objicit, quàm quod hæ tabulæ diſſentiant ab illis Ottonis I ac Henrici II, quodque haud ſatis appareat qualis ſit illa Caroli donatio *quem melior Carolus fugaverit*. Verùm illas Ottonis I & Henrici II jam ante rejecimus: & illa altera Caroli donatio qualis ſit ex Eutropia-

tropiana appendice docuimus. Certè ſi his tabulis Ottonis III nulla debetur fides, fruſtra laboramus de aliarum certitudine. Provocamus nos ad inſtrumentum, quod vocant, juſſu Benedicti Papæ ſuper illis confectum. Sed de ijs quæ ad Cæſareum Vrbis Imperium ſpectant plus ſatis fortaſſis eſt dictum.

Si ſuprema vero Vrbis juriſdictio tranſlata eſt denuò in Cæſares, multo magis ſubjecta illis ſunt quæ ad Patrimonium Eccleſiæ pertinent alia. Imò ſi credimus illis tabulis, quas Leonis IIX nomine Crantius *Metropol. Saxon. l. IV. cap. X.* & alii recitant, omnia in terris Patrimonii illius regalia olim bona, quæ Pipini atque Caroli dono Papis ceſſerant, Leonis nomine Cæſaribus ſunt reddita. Verùm fateor & illas tabulas apud me ſuſpectæ eſſe fidei, nec videri malè contra eas depugnare Baronium anno ıↄcccclxiv. Ex Ottonis vero III tabulis, quas ante laudavimus, conſtat, pleraque, quæ antehac ad Petri patrimonium illud pertinuerunt, eâ ætate in aliorum poſſeſſionem jam deveniſſe, à Pontificibus dilapidata, & denuò Romanæ illi Eccleſiæ octo quos ante etiam recitavimus Comitatus ab Ottone illo donatos eſſe. Vnde patet tunc temporis profectò nequaquam Patrimonii Petrini abſolutum dominium tenuiſſe Papam. De octo autem illis comitatibus ita diſertè Cæſar: *Octo igitur Comitatus S. Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & S. Petri cum ſua & noſtra ſalute habeat & teneat & ad incrementa ſui Apoſtolatus noſtriq; Imperij ordinet.* Noluit vero ab Imperio ſuo alienari quod donavit in ejus incrementum. Porrò quùm ſatis abundeq; conſtet, etiam veteris Patrimonij Papalis quædam Imperij antiqui Romani reliquias, alia portiones fuiſſe regni Langobardici; cum Imperatorio titulo procul dubio, ſi accu-

ſi accuratè loquendum eſt, ſaltem in illa Cæſareum titulum Otto impetravit, reliquorum ſumma juriſdictione ad regnum Langobardicum pertinente. Quod diſcrimen non latuit omninò & eos qui Ottonis I ac Henrici II nominibus tabulas iſtas confinxerunt. Sed non eſt quur hæc latiùs perſequamur.

Porrò & in Papam, ſive electionem ejus ſive mores ac vitam ſpectes, jus Ottoni cum Cæſareo titulo datum, multa profectò liquidè docent. Notum eſt quid Otto ſtatuerit in Ioannem XII. Certè ſui officij judicavit Cæſar multorum ſcelerum accuſatum paternè primum admonere. Et Papa credidit non minus ſe decere emendationem vitæ polliceri apud Cæſarem. Inde Cæſar, indicto Epiſcoporum, Cleri & optimatium populi Romani conventu, & inquiſivit in ea quæ Papæ objiciebantur & Papam ad dicendã cauſſam citavit in judicium: rogatus mox ab omni cætu expulit Papam & alium fecit eligi: ipſe Leonis electioni annuit. Omnia hæc uſq; adeò patent ex Luitprando, ut nec Baronius auſus ſit hiſtoriæ fidem vocare in dubium, utut ægrè ferat proceſſum illum Hildebrandi ſpiritu adflatus. Cæterùm eâ quidem tempeſtate & ante Hildebrandum nemo Ottonem injuriæ poſtulavit ſuper hoc Ioannis Papæ negotio. Quod jndicium certiſſimum eſt ipſos quoq; Papas tùm credidiſſe, ratione morum ſeſe ſubditos Cæſaribus. Conſtitutionem vero Paparum quod attinet, nolo ego multis antiquorum ſcriptorum teſtimonijs nunc oſtendere, & Ottonis Magni & omnium ejus ſucceſſorum uſque ad Hildebrandi tempora ſummam fuiſſe Cæſarum auctoritatem. Satis me feciſſe exſpectationi & inſtituto exiſtimo, ſi omnem hanc rem verbis Onuphrij Panvinij, quo nemo omnia hæc habuit

magis explorata, & tamen in partes Paparum pronior eſt multo quam Cæſarum, enarravero. Exſtat ejus *vita Gregorij VII Papæ* à Iacobo Gretſero tomo altero defenſionis Bellarmini inſerta pars quarta operis, *de varia Pontificum electione*: ubi de Paparum ſubjectione ergà ejus temporis Germanicos Cæſares ita diſſerit. *Huic* (Hildebrando Papæ) *cùm omnes Latinæ Eccleſiæ, tum præcipuè Romana acceptum referre debet, quòd libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta*: &c. *cùm anteà, tanquam vilis ancilla, non ab Imperatoribus modò, ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto, premeretur, ab hoc maximè illius, & omni ſeculo tremendæ venerandæq́; Romani Pontificis, & infinitæ penè poteſtatis jus manavit. Nam etſi antè Romani Pontifices, tanquam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtiq́; Vicarij & Petri ſucceſſores colerentur, non tamen eorum auctoritas ultrà protendebatur, quàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Cæterùm* IMPERATORIBVS SVBERANT; *ad eorum nutum omnia fiebant, ab iis creabantur: de eis judicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus.* Hæc Onuphrius in genere de Cæſarum illius ævi in Papas auctoritate. Conſtitutio Pontificum quomodo ad Hildebrandi uſq; tempus fuerit juris Cæſarei multo prolixius narrat. Operæ tamen pretium fuerit, ſi & omnem illam narrationē hoc loco recitemus. *Privilegium Hadriani primi, Imperatori ab Hadriano* III *ereptum, Leo Papa* VIII *Othoni primo Imperatori de Romana Eccleſia optimè merito, cùm eam ex tyrannorum Berengarij & Adalberti manibus erutam, in libertatem, quam amiſerat, vendicaſſet, anno Domini* CMLXII *in Synodo Laterani congregata, exemplo ejuſdem Hadriani primi, qui illud Regi Carolo conceſſerat, reſtituit, renovavit, & de novo confirmavit, ut patet ex eadem diſt. apud Gratianum. Porrò autem contra hoc Leonis* VIII *decretum nullus deinceps Romanorum*

norum Pontificum reclamavit, vel apertè contradixit, uſque ad Gregorium VII. Hic primus fuit, qui Imperatorum ſimonia offenſus, in contrarium editis decretis, hæc duo, Hadriani I & Leonis VIII privilegia omninò abrogavit & induxit. Satis autem conſtat, Ioannem XIII qui Leoni VIII, immediatè ſucceſſit, Gregorium V & Sylveſtrum II Apoſtolicæ ſedi ſola Imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullius Cleri vel populi Romani ſuffragiis expetitis. Cæteri verò Romani Pontifices, qui inter Ioannem XIII. & Sylveſtrum II. fuerunt, etſi eos electos fuiſſe ab Imperatoribus non legatur, ſed à Clero Senatu populoque Romano, id accidit, quod electionis tempore Imperatores Vrbe abſentes, adeò maximis in Germania, & alibi bellis impliciti eſſent, ut de novo Pontifice Romanæ Sedi providere non poſſent. Illud tamen conſtat, dum Imperatores, tres Ottones loquor, in Vrbe, vel prope, aut certè in Italia fuerunt, & Romanam forte Eccleſiam paſtore vacare tum contigiſſet, eos novum Summum Pontificem dediſſe. Si verò tempore novæ electionis eos ab Italia procul eſſe contigiſſet, certum eſt, tum Romanos Pontifices à Clero, Senatu populoque Romano electos, non abſque Imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe. Fuerunt autem Benedicti duo VI & VII Bonifacius VII Apoſtolicæ Sedis invaſor, qui etiam exactus fuit, & Ioannes XIV XV XVI. quorum noviſſimus, ut quidam ſcribunt, quòd ſine Othonis Imp. III conſenſu electus & conſecratus eſſet, Vrbe fugatus, Sacerdotio mulctatus eſt, Gregorio V ſubrogato. Huic igitur privilegio à Leone IIX uſque ad Gregorium VII à nemine unquam Papa reclamatum eſt: quanquam non omninò fuerit negligentiâ Imperatorum obſervatum. Verùm Othone III Imp. ſub Sylveſtro II circa annum Domini M mortuo, qui ei ſucceſſit Henricus II vir ſanctiſſimus, ac inter Divos relatus & poſt eum Conradus II ejuſmodi privilegium curare viſi non ſunt. Nam poſt Sylveſtrum II

qui ſub Henrici II Imperio obiit, Romani omnes Pontifices uſque ad Clementem II ſine Imperatorum auctoritate renunciati ſunt. An autem eorum conſenſum, antequam conſecrarentur, requiſierint, etſi mihi veriſimile ſit, nunquam tamen inveni. Hoc autem accidiſſe credendum, tum propter Henrici II nimiam ſanctitatem, qui liberam voluerit eſſe Romani Pontificis electionem, cujus in ſuperiori libro 3. vetus etiam documentum retuli, tum etiam propter Cunradi II occupationes, quibus, & maximis bellis, dum vixit, detentus eſt, longè ab Vrbe abſens. Neque etiam unquam contigiſſe legitur, ut unus ex his duobus Imperatoribus Romæ, vel in Italia vacantis Sedis tempore fuerit. Nam fortè trium Othonum prædeceſſorum exemplo Romanum Pontificem dediſſent. Cæterùm cùm ob eorum negligentiam in Imperij jure tuendo privilegium Leonis IIX fortè obſoleviſſet, octo vel novem Romanis Pontificibus ſine eorum electione à Clero, Senatu populoq́; Romano creatis, occaſione maximi inter tres Pontifices ſchiſmatis accepta, Cunradi II filius Henricus III in Italiam venit, Imperiiq́; hoc privilegium magnificè vindicavit (ut ſuprà in Clementis II vita docui) & juxta privilegia Hadriani I, & Leonis IIX formam, abrogatis tribus Pontificibus Benedicto IIX, Sylveſtro III, & Ioanne XX, Gregorio quoque VI privato, novum Pontificem Romanæ Sedi dedit Suidegerum Saxonem Capellanum ſuum, Epiſcopum tunc Bambergenſem, quem Clementem II appellavit, Cardinaleſq́ue, Clerum ac Senatum, populumq́; Romanum ſacramento adegit in verba ſua jurare cogens, ſe Romanum Pontificem niſi ſuo juſſu creatum non ſuſcepturos. Qui, dum vixit hoc præſtantiſſimum Imperij jus mordicus retinuit, & Clementem II Damaſum II Leonem IX & Victorem II ſuo arbitrio Romanos Pontifices deſignavit. Hæc omnia Onuphrius. De quorum fide non eſt quod dubitemus. Vt proinde, qualis fuerit ab Ottone uſque Cæſarum in ipſos Papas poteſtas, neminem poſſit latere. Supe-

Supereſt ut doceamus quomodo illa jura Cæſarea fuerint olim in Germaniæ regum poſſeſſionem tranſlata. Vtrum ſcilicet Romani Magno Ottoni aut aliis hæc omnia conceſſerint revocandi poteſtate ſibi ſervatá, ac perſonalia quæ vocant voluerint eſſe illa jura, an vero Germaniæ regno & regibus perpetua. Omnibus enim hiſce modis populus aliquis alteri ſubjicere ſe poteſt. Nec enim qui ſe ſubjicit ſemper ita ſe ſubjicit ut quoties velit poſſit ſe rurſum imperio eximere. Fieri etiam poteſt ut quis Regi ſeſe ſubjiciat, nihil tamen juris in ſeſe det regno cui ille Rex præeſt. Etiam vero in regnum ipſum conferri aliquod ejuſcemodi jus poteſt. Videtur autem haud operoſum adeò probatu, quod ipſi regno Germaniæ jura Cæſarea ex pacto cum Romanis inito ceſſerint & quidem in perpetuum. Argumentum ſententiæ noſtræ eſt: quoniam ex pacto Germanici regni Ordinibus in perpetuum eſt conceſſum, ut quem illi velint, is teneat ſimul jura Cæſarea: fuit autem in juribus illis quo tempore eſt pactum omne illud, quod modo in medium adduximus.

Poſſit videri tale fœdus jam initum quo tempore Ioannes XII Papa cum populo Romano Ottonem Magnum Cæſarem ſibi elegit. Veteri enim more erat receptum ut qui Cæſar crearetur, is obtineret in Imperium Romanum jus hæreditarium, quod ſuprà de Carolo adſtruximus. Itaque ſaltem Ottonis familiæ hanc in hæreditatem ceſſiſſe Cæſaream dignitatem crediderimus. Ottonis vero omnia Reipublicæ fuerunt Germanicæ. Certè ejus ſanguine & Italiæ regnum partum erat & à Berengarij tyrannide Roma vindicata & impoſterũ defendenda. Quę cauſſæ Cæſaream dignitatem Ottoni pepererunt. Neque vero vel Germaniæ vel Italiæ Langobardicæ regna in patrimonio

fuerunt familię Ottonis ſed Germanię univerſæ, quæ ſummum magiſtratum ſuum Ottoni & quadamtenus poſteris contulerat, quâ de re alias. Itaque quo tempore Ottoni hæreditario obvenit dignitas Cæſarea, verè illa acceſſit patrimonio reipublicæ Germanicæ. Sed utrum ſtatim initio à Ioanne Papa & Romanis hæreditarium aliquod jus ſit collatum, fortaſſis incertum eſt ſi videas Romanorum mores poſt Ludovicum II, maximè autem poſt Carolum Craſſum, qui in Cæſaribus eligendis his, illis, videntur penè pro arbitrio luſiſſe. At paulo poſt, Leone IIX Pontifice, circa annum IↃCCCCLXIV perpetuum hujuſmodi jus Germaniæ datum eſſe adſerere certiùs licet, ſi attendamus capitulum XXIII diſtinct. LXIII, quod Gratianus nobis ſervavit. Fictitium quidem illud eſſe conatur oſtendere Baronius ad annum quem jam commemorabamus. Mirum vero ſi ille primus figmentum obſervaverit, quùm tamen ne Onuphrius quidem, vir omnis antiquitatis peritiſſimus, aliquid ſiniſtri heic ſit ſuſpicatus, ceu paullo ante audivimus. Multo magis mirum meritò fortaſſis cui videatur quod Leonem illum expungere albo Pontificum conetur idem Baronius, quem & illa & ſequens ætas omnis non dubitavit pro legitimo Papa venerari; cujuſque hoc ipſum capitulum in Gratiani codice auctoritate Gregorij III hodieque legitur; quem porrò Pontifices omnes pro ſuo habuerunt, non numeraturi ſcilicet Leones, nonum, decimum, undecimum, niſi hunc habuiſſent octavum; quem ipſe denique Baronius admiſit, illum qui Henrico III Cæſare Leonis nomen geſſit nonum appellans. Sed Baronii ita ſentire nemo mirabitur qui noverit quàm totum illum infecerit ſcabies Hildebrandina, cui illius Leonis IIX facta minus abblandiuntur. Nec vero quæ ca-

pitulo illi objicit Baronius magni ſunt momenti. Potiſſima ſunt quod hoc ipſo Decretum Hadriani, quod ille fictũ eſſe mavult, roboretur quodq; pœnam capitis Pontifex minitetur delinquentibus, præter morẽ Papalium conſtitutionũ. Sed Hadrianici illius decreti fidẽ ſupra aſtruximus; nec capitulum hoc ab uno eſt Papa conditum ſed ſimul à Romano populo, penes quem utique erat jus necis in eos qui rempublicam turbabant præter fas eligendis aut Pontificibus aut Patriciis, ſed & ipſe Papa uſurpabat tùm in ejuſmodi ſontes necis poteſtatem. Vt taceam capitulo illo ſanciri tantùm jus animadvertendi in legis hujus violatores. Nec adducam nunc Gloſſatoris expoſitiones, etſi & illæ ultimæ Baronianæ objectioni convellendæ ſatis ſint. Potius recitabo ipſa capituli verba, quò liceat propiùs ad rem noſtram accedere. *Ad exemplum B. Hadriani Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, qui Domno Carolo victorioſiſſimo regi Francorum & Longobardorum, Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apoſtolicæ ſedis & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit: ego quoque Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, cum toto clero ac Romano populo conſtituimus & confirmamus & corroboramus & per noſtram Apoſtolicam authoritatem concedimus atque largimur Domino Othoni primo regi Teutonicorum eiuſq́ue ſucceſſoribus huius regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant & conſecrationem, unde debent: exceptis his quos Imperator Pontificibus & archiepiſcopis conceſſit; & ut nemo deinceps cuiuſque dignitatis vel religioſitatis eligendi vel Patricium vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicum, aut quemcunq. Epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſque conſenſu ipſius Imperatoris (quod tamen fiat abſque omni pecunia) & ut ipſe ſit Patricius*

tricius & Rex. Mendoſa hæc eſſe nemo non videt, quùm difficile ſit ſenſum verborum plenè aſſequi. Vt autem nunc haud attingam ea quæ Pontificum aliorumque Præſulum electionem ſpectant, ex illo mutilo & mendis infecto capitulo tamen diſcimus *Primùm* à Patricij Romani vel primarij magiſtratus Romanæ Vrbis electione imposterum Romanos optimates abſtinere debere niſi conſenſu impetrato Imperatoris. *Dein* Ottoni ejuſque in Italico regno ſucceſſoribus in perpetuum facultatem conceſſam eſſe *eligendi ſucceſſorem*. Gloſſa accipit obſcura hæc verba de eligendo *ſucceſſore in regno Italico*. At de ſucceſſione in illo regno quidquam decernere neque Papa nec Populus aut clerus Romanus potuit: multò minus penes illos fuit conſtituere aliquid de ſucceſſione in regno Germanico; ceu conſtat ex ijs quæ capite nono jam diſputata ſunt & infra clariùs oſtendentur. Intelligenda ergo illa ita ſunt: Ottoni ejuſque in Italiæ regno ſucceſſoribus facultatem & jus æternum eſſe ſucceſſorem in Imperio ſibi deligendi. De ſucceſſione certè etiam Imperiali interpretatur illa ipſemet Baronius ad annum ıↄccccxcvı. Iam vero ſucceſſio in regno Italico juris eſt reipublicæ Germanicæ non minus atque totum regnum, neque Germaniæ placuit hactenus alium regno illi præficere quàm Germaniæ regem nec fortaſſe placebit aliud unquam.

Igitur vi illius conſtitutionis in æternum & Romani ipſi & alii poteſtate Imperatores Vrbis Romæ eligendi ſunt exuti, omniſque hæc facultas in perpetuum eſt tranſlata ad reges Germaniæ aut potius ad Germaniæ rempublicam, cujus caput Rex eſt. Non eſt ſcil. quod nos turbet, in capitulo hoc dari illud jus *ſucceſſoribus* h. e. regibus ipſis, non verò reipublicæ; item *ſucceſſoribus Ottonis*, non in regno

Germa-

Germaniæ ſed *in regno Italiæ.* Obſervandum enim eſt, verba hæc reſpicere rationem ſucceſſionis tum uſitatam: quæ nempe ex parte quidem erat arbitrij Ordinum, ex parte vero in regis ipſius hæreditate, huius voluntate maxime prævalente. Itaque mens legis tacite hæc proculdubio eſt: illius penes quem fuerit dare regem Italiæ in poteſtate perpetuo fore dare & Imperatorem Romanæ urbi: utut hoc ipſum diſertis verbis expreſſum non ſit. Voluit nimirum parem eſſe rationem ſucceſſionis in Vrbis Romæ Imperio, quæ obtinet in regno Italiæ, utque adeo idem ſit Rex Italiæ & Vrbis Romæ Imperator; ipſa tamen Vrbs non habeat jus Imperatorem ſibi eligendi, ſed cogatur illum alibi electũ accipere. Certũ porro eſt, ea tempeſtate qua ſancitũ eſt hoc capitulum, Italiæ regimen fuiſſe juris Germanici. Itaque per ſucceſſores Ottonis in regno Italico, intelliguntur indubie illi quos Germania aliquando volet Italiæ eſſe reges. Hi quippe ſoli ſunt veri Ottonis ſucceſſores in regno illo. Tacite ergo profecto tranſcribitur Germaniæ etiam ſic jus eligendi Cæſarem. Italici autem regni diſerta ſit mentio, quoniam ſolum illius regni regem ſibi Imperatorem voluerit Roma, ſi fortaſſis placuerit Germaniæ proprium aliquem Italiæ regem dare à ſuo diverſum. Et vero Italiæ rex Vrbis Romæ Imperio utilis tantum eſt, non autem aliquis Germaniæ rex Italiæ adminiſtratione deſtitutus. Quare diſertè hoc caveri debuit. Benè vero, quod nunquam hactenus Germaniæ placuerit, nec fortaſſis unquam ſit placiturum, Italię regnum proprio cuidam regi committere, ſed ſuum regem voluerit & Italiam regere. Hinc nemo eſt ſucceſſor Ottonis in regno Italiæ niſi qui eſt ſucceſſor ejuſdem in regno Germaniæ: adeoque ſolus Germaniæ rex eſſe Imperator debet vi conſtitutionis illius Leoninæ.

Leone itaque IIX Pontifice jam datum Germaniæ æternum jus Cæſareum, conſtat. Vulgò creditur Ottone demùm III Cæſare à Gregorio V Papa eligendi Cæſaris jus perpetuum Germaniæ conceſſum: viſumque hoc ipsũ eſt veroſimile etiam Baronio ad annum IↃCCCCXCVI. Cæterùm quum nullo id liceat teſtimonio probare, quod his proximis trecentis annis antiquius ſit, quid narrationi huic ſit fidendum, liquet. Sed & probavimus nos, antiquius eſſe hoc inſtitutum & à Leonis IIX ætate repetendum. Nihili etiam ſunt argumenta quibus probabilem illam narrationem conatur reddere Baronius, dum omni teſtimonio idoneo deſtituitur: ceu alias oſtendetur. Vt vero res ita ſe habuerit quemadmodum ferunt, etiam ita patet tamen æternum illud Germaniæ jus Cæſareum. Parum ſcilicet refert primi an tertij Ottonis ætate ita convenerit, modò conſtet in id conventum eſſe.

Non tantum vero ex Leonis illo capitulo aut ex fabulis illis vulgaribus nobis conſtat de æterno illo Germaniæ jure, verùm etiam ex uſu perpetuo ſeptingentorum penè annorum, etſi Romani Papæ nonnihil infringere illud, ſuo more, ſint conati. Certè ante Hildebrandinos tumultus nemo vel Germanorum Principum vel Paparum, nec Populus Romanus, dubitavit ſoli Germaniæ Regi, & quidem ſtatim atque ille eſt electus, jura integra Cæſarea in Romam, in Papam, in S. Petri patrimonium competere. Quod utique minimè contigiſſet niſi id fas omnes habuiſſent. Nec vero eſt quod quem moretur, etiam illo omnique ſecuto ævo neminem temerè Cæſarem eſſe dictum niſi demùm poſt coronationem Romanam, & Imperij Regnique annos ſeorſim numeratos, Imperijque initium à tempore coronationis ſemper dici ſolitum. Haud diffiteor

equidem poſſe hinc cui videri, ad Cæſarea jura conſequenda approbatione Papæ eſſe opus. Sed & Franciſcus Guicciardinus, vir longè doctiſſimus, in illa Hiſtoriæ ſuæ parte, quam ex libro IV ab Hildebrandinis reſectam ſeorſim quæ ederetur dignam judicavit Petrus Pythœus, docet, cum Ottone III pepigiſſe Gregorium V, *ne quis Imperatoris Auguſtive adpellatione aliove nomine quàm Regis Romanorum & Cæſaris uteretur, ni priùs Imperij coronam à Pontifice accipiat.* Quin & ipſe Glaber Rudolphus ætate Henrici jam III ſcripſit, id quod ſtudioſè adeo inculcat non ſemel Baronius: *Illud nihilominus nimiùm condecens & perhoneſtum videtur atque ad pacis tutelam optimum, decretum ſcilicet, ut ne quiſquam audacter Romani Imperij ſceptrum præproperus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici & eſſe valeat, niſi quem Papa Vrbis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ eique commiſerit inſigne Imperiale.* Verum enimvero mox liquidum faciemus, ante Hildebrandi certè ætatem in Germanicâ pariter ac Romana Curia creditum, ad Cæſarea jura conſequenda ſatis eſſe electionem Germaniæ ordinum; ſecuto tempore fateor conſenſum aliquem ſuum urſerunt Papæ, Germania tamen nunquam non reclamavit. Quod itaque Glaber ſcribit, indubiè ex errore quodam eſt profectum, ut in alijs multis Reipublicæ noſtræ negotia minus ille Gallus monachus eſt aſſequutus. Longè autem abſunt à vero, quæ Guicciardinus narrat: nam & Francorum Cæſarum ætate idem obtinuiſſe, manifeſtum eſt ex illorum antiquiſſimis tabulis. Neque eſt veterum aliquis quem Guicciardinus poſſit in ſententiæ teſtimonium laudare. Quod à nomine autem Imperatorio abſtinuerint Germaniæ Reges ante peractam coronationem, id commune ipſis fuit cum omnibus inungi tùm ſolitis. Omnibus

enim illis ſolemne fuit titulos ſuos ordiri à tempore ſanctæ inunctionis, utut nemo non regnorum imperiorumque jura interim ad ſe pertinere crediderit. De ipſo Papa ſcribit Antonius de Butrio, nobilis Iuriſconſultus *conſil.* XLIII: *Papa recipit Pontificatum & adminiſtrationem à die electionis, licet de ſtylo, qui ſervandus eſt, non incipiat Pontificatum niſi à die coronationis.* Quod autem ante diximus, indubitatò Regibus Germanicis ſtatim ab electione, ante Hildebrandum, Cæſarea jura competiiſſe, haud adeò operosà indiget probatione.

Statim ab obitu Ottonis II Theophane mater Ottonis III nomine filij impuberis integrū triennium ipſam urbem Romam & incoluit & rexit: quod jam ſupra ex Lamberto adduximus. Ipſemet Otto III Rex adhuc audiebat, quùm & Ravennæ, urbe ad S. Petri patrimonium pertinente, Gerbertum Archiepiſcopum, & Romæ poſt Ioannem XIV Gregorium V Papam conſtituit, & Creſcentium, qui Vrbis tyrannidem uſurpabat, præcipitari & Papæ à Creſcentio electo amputari manus, abſcindi aures, & oculos erui fecit. Quæ omnia narrat ipſemet Baronius ad annum CMXCVI. Glabri Rodulphi verba de electione Gregorij V ſunt: *Contigit initio Imperij Ottonis ut ſedes Apoſtolica Vrbis Romæ proprio viduaretur Pontifice. Ipſe vero illicò Imperiali uſus præcepto quendam ſuum conſanguineum cujuſdam Ducis filium delegit atque ex more in ſede Apoſtolica ſublimari mandavit.* Electum vero Gregorium Ottone adhuc in Germania vivente, ipſe confirmat Baronius. Poſt hunc Henricus II antè itidem reſtituit in locum ſuum Benedictum IIX Papam quàm coronatus eſt, teſte eodem Baronio ad annum CIƆXIII. Henricus quoque III coronatus demum eſt anno CIƆXLVII, & tamen jam anno XLIV ejus
juſſu

juſſu à ſede Pontificiâ Benedictus dejectus ſubſtituto Gregorio VI: biennio poſt eundem Regem Ravennatem Archiepiſcopum dignitate, vt & Gregorium VI Pontificem, exuiſſe ſubſtituto Clemente II, inſtituiſſe item judicium Sutrij in Paparum negotio, teſtatur quoque Baronius.

Serius coronatus eſt Henricus IV & tamen à prima uſque ejus infantia Romæ non minus quàm alibi omnia obtinuit jura. Lambertus Aſchafnaburgenſis anno CIↃLVIII: *Romani Principes ſatisfactionem ad Regem mittunt, ſe ſcilicet fidem, quam Patri dixiſſent, filio quoad poſſent ſervaturos, eoque animo vacanti Romanæ eccleſiæ Pontificem uſque ad id tempus non ſurrogaſſe, eius magis ſuper hoc expectantes ſententiam: orantque ſedulò, ut quem ipſe velit tranſmittat; nihil eius ordinationi obſtare ſi quis non per legitima ordinationis oſtium, ſed aliunde in ovile ovium aſcendiſſet. Rex habita cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Epiſcopum Pontificem deſignat, Romamque per Godefridum Marchionem tranſmittit. Ita Benedicto, qui ſine iuſſu Regis ac Principum ſacerdotium uſurpaverat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus, Pontificatum obtinuit.* Sequente anno à Nicolao Papa & omni clero denuò confirmata eſſe videtur conſtitutio de eligendis Papis per Cæſares. Habentur quędam Papę illius tabulæ apud Gratianum *diſtinct. XXIII. cap. in nomine:* & recitantur à Baronio. Inter alia vero ita illæ loquuntur: *Eligatur autem de ipſius eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſa non invenitur, ex alia adſumatur, ſalvo debito honore & reverentia dilecti filij noſtri Henrici, qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, DEO concedente, ſperatur, ſicut iam ſibi conceſſimus & ſucceſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica ſede perſonaliter hoc ius impetraverint.* Quùm anno CIↃLXI Cardinales inconſulto Rege elegiſſent Alexandrum, gra-

viter id Rex tulit juſſitque alium eligi, Cadolum nempe Parmenſem Epiſcopum. Pro excuſatione illius rei Defenſor Eccleſiæ Romanæ apud Petrum Damiani Cardinalem *diſceptat. inter Advocat. Regni & Defenſor. Eccleſiæ* ita loquitur: *Porrò quod in conſtituendo Pontifice Romana Eccleſia à charitate Regia non receſſit, hoc item indicio eſt, quia cum in clero ſuo religioſiſſimis & ſapientibus viris abundat, non de propriis, ſed eum qui Regi tanquam domeſticus ac familiaris erat, elegit.* Item: *Glorioſo Regi, nobis eligendo Pontificem, abſit ut nos intulerimus iniuriam, cùm ad hoc nos neceſſitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos invitos attraxit periculum civilis belli non lædendi vel minuendi livor Imperij.* In eodem porrò Damiani libro Advocati regij verba ſunt: *Cenſendumné eſt ut Papam ſine capite ſuo* (Imperatore) *Populus eligat?* Item: *Huc accedit quod Nicolaus Papa hoc Domino meo Regi privilegium, quod ex paterno iam iure ſuſceperat, præbuit. Quo pacto maieſtas regni prærogativam hanc ſuæ dignitatis amiſit, quam & ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate percepit, & ex paterno Imperialis faſtigij iure ſuſcepit?* Hiſce proximè ita reſpondet Defenſor Eccleſiæ Romanæ, ut Henricum ipſius Eccleſiæ Romanæ Regem appellet: *Privilegium invictiſſimo Regi noſtro ipſi quoque defendimus, & ut ſuperplenum illibatumq; poſſideat optamus.* Item: *Tùm quando Pontificem ſibi Romana percepit Eccleſia, tantæ ſimultatis fomes in ſeditiones cives accenderat, ut de tàm longinquis terrarum ſpatiis nequaquam Regiæ clementiæ praſtolari poſſemus oraculum.* Non adjiciam nunc alia ex eodem libro. Ne quidem narrabo, quomodo per legatos ſuos cauſſa Alexandri rigidè in concilio examinata ſit Regiâ Henrici auctoritate; quum prolixè ſatis hæc omnia ipſemet Baronius recenſeat. Non in Papas vero ſolos Rex ille exercuit jura ſua Cæſarea ſed

&in

& in Vrbem ipſam. Abbas Svvartzahenſis *in chronico* MLXXIV: *Hanno Colonienſis Epiſcopus & Hermannus Babenbergenſis Romam miſſi ſunt pecuniæ quæ Regi debebatur congregandæ gratia.* Otto Friſingenſis ſcribit, miſſos illos Romam pro juſtitia Regni.

Non moror alia teſtimonia. Sole enim clarius profectò vel ex hiſce conſtat, etiam Romanis nihil reclamantibus aut adverſantibus, illâ quidem ætate, integra Cæſarea jura non minus penes illos qui Reges audiebant fuiſſe quàm penes coronatos jam Imperatores, adeóque hactenus quidem Cæſareorum jurium poſſeſſionem à coronatione Pontificiâ non fuiſſe ſuſpenſam.

CAPVT XI.

Præter illud Imperium, & qui hinc ſequitur primatum, nihil neque dominii neque juris à Romanis Germaniam accepiſſe.

EXimia atque æterna ſummi Imperij jura in Papam, in Vrbem Romam, inque id S. Petri patrimoniũ quod ad regnum Langobardicum non pertinebat, per Ottonem Magnum Germaniæ eſſe parta, eadem porrò centum & decem annorum ſpacio uſque ad tempeſtatem Hildebrandi integra perſtitiſſe, ex modò diſputatis manifeſtum eſt. Quomodo ſecutis temporibus infringi multis modis illa cœperint, quidque illorum etiamnum ſuperſit, addendum. Sed ex ordine magis fuerit, ſi ante videamus, numquid præter illa jura per Cæſareum titulum Germania quicquam à Romanis impetraverit. Ita enim demùm patebit, quid Vrbi Romæ acceptum ferendum ſit, quidve hodiè nobis debeatur jure Cæſarei nominis, ſimul & alijs oppidò cęteroquin impeditis lux aliqua fortaſſis adfulgebit. Princi-

Principiò igitur ponendum eſt, illo titulo Germaniæ non eſſe conceſſum vel dominium totius terrarum orbis vel jus illum omnem occupandi. Namque illo quidem tempore proxima pomæria vix erant amplius in plena poteſtate aut Populi aut Papæ Romani: totus verò orbis ne quidem florentibus maximè rebus Vrbi iſti paruit: neque jus aliquod fuit unquam antehac illi Vrbi ad totius prorſus orbis Imperium ſibi parandum: multo minus Ottonis ævo fuit, aut poſt aliquod tale jus potuit naſci. Quæ ſuprà ſunt demonſtrata. Vt igitur non poſſeſſionem totius orbis, ita nec jus illum poſſidendi, à Romanis ſibi hactenus Germania comparavit. Riſumque adeò merentur qui Carolo V Cæſari ac Hiſpaniarum Regi juſtum occupandi Americam titulum propter Imperatorium nomen adſcripſerunt. Digni certè non ſunt quos confutes argumentis.

Etiam id porro fatendum eſt, ne quidem in omnia Romanis aliquando poſſeſſa Germaniæ aliquod jus datum. Eſt ſcilicet ſuprà jam tum à nobis demonſtratum etiam hoc; unà cum poſſeſſione & jura omnia ſua Romanos dudùm amiſiſſe ante Carolum Magnum, neque poſtea ad Ottonis uſque ætatem illorum juribus ad recuperanda olim poſſeſſa quicquam iterùm accreviſſe. At largiri profectò Germaniæ non potuerunt Romani, quo ipſi carebant. Non deſunt, fateor, & hodie, qui Germanis jura florentis Romę adſerant. Videas tamen haud alijs niti eos argumentis, quàm quod Germania ſucceſſerit in locum veterum Cæſarum, qui iſthæc omnia tenuerunt. Quem in modum permulti juris quoque Romani interpretum jam per aliquot ſecula Cæſaribus noſtris omnem illam vim, poteſtatem, auctoritatem & dignitatem iverunt attributum, quam olim Cæſares obtinuiſſe ex Iuſtinianeis volu-

minibus

minibus didicerant. Hos inter tamen nonnulli blandiùs agentes exemptionem aliquam admittunt: illas omnes provincias liberas pronunciantes quæ privilegio quodam Cæſareo libertatem ſunt conſequutæ. Verum enimverò admiſſis illis quæ nos demonſtravimus capite III ac V, haud difficile perſpectu eſt, quantum illi abludant à vero. Si enim multis modis Roma provincias ſuas potuit amittere perinde atque multis modis illas ſuę fecit ditionis, utiq; nō privilegio aliquo Cęſareo opus eſt ad vindicationē libertatis. Neque illud, *qui in locum ſuccedit, ſuccedere in jus*, adeò eſt crude accipiendum, ut quę ante mille annos fortè domus tuę poſſeſſor tenuit tu tibi etiam deberi eò quod in jiſdem ædibus ſucceſſeris, arbitreris. Ineptum id ſanè fuerit ac vanitatis pleniſſimum. Itaque illa quidem ſucceſſio Cęſarea non dat nunc jus recuperandi quę ante ſecula multa perierunt. Æquè leve eſt credere, etiam in illa amiſſa hodieque Cęſaribus competere jus aliquod, eò quod in Iuſtinianeis libris jurium illorum fiat mentio. Quaſi ſcilicet quæ illis libris memorantur omnia ętern ę legis vim habeant. Eſt vero certiſſimum, plurima ibi dicta, non tamen in id ut pro lege valeant, longè plurimas porrò leges ibi recitari quę nonniſi ex conſtituto illius quę tùm obtinuit reipublicę auctoritatem habent, adeoque reſpublicas alias liberas non obligant. Nullibi vero legas in voluminibus iſtis omnes Iuſtiniani ſucceſſores in paria debere jura ſuccedere: & licet ita eſſet tum conſtitutum, non obſtringeret tamen id populos liberos, quales certè fuerunt Germanicę gentes omnes, quę ſui juris fecerunt Romanorum provincias. Certè omnia Iuſtiniano dicta obligare pro lege omnes perinde populos liberos, quod tanquam pro fundamento quidam collocant, longè eſt falſiſſimum.

ſiſſimum. Nec ad ejusImperij formā componi nunc mundus poſſit, niſi omnia turbes & evertas: quo nihil eſt iniquius.

Eſt porro abunde à nobis demonſtratum, Romanum populum ne quidem Caroli Magni ęvo habuiſſe juris quicquam amplius in Italiam Langobardicam, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Daciam, Pannoniam, & Germanię partem, aliaſque veteres ſuas provincias, multò minus ętate Ottonis Magni: ſunt autem hæ provincię Occidentalis Imperij veteris potiſſima. Quę Ottone autem Cęſare non fuere Romani juris, illa etiam à Romanis tùm non accepit Germania, adeoque niſi ſecuto tempore quędam aut ſuapte ſponte in Romanam ditionem reverſa ſunt, aut per vim recepta, ne nunc quidem Germanię in aliquam provinciarum illarum Imperij Occidentalis veteris jus aliquod imperandi competit, quod quidem ad Romam pertineat aut acceptam a Romanis Cęſaream dignitatem. At vero ut à Romano populo quicquam iterùm vi receptum ſit, nimis profectò infra illius vires fuit hactenus. Vltrò autem non ſanè Hiſpania, non illa Gallia quę ad Rhodanum uſque ab Oceano ac Pyrenęis montibus protenditur, non Britannia, non Dacia, non Pannonia ſeſe & ſua Romanę ditioni iterum ſubjecit. Quin *cap. proximo* oſtendemus, ne Germaniam quidem aut Italiam, utut in nomen Romani Imperij tranſierint, Vrbi illi rempublicam ſuam ſubdidiſſe. Si vero provincię veteres non redierint in jus Romanum, nec quæ jura Vrbi in eas pridem ſuperfuerint, quorum utrumque eſt veriſſimum; manifeſtum eſt Germaniam neque illorum quidquam hodie poſſidere, neque habere jus occupandi, nomine atque auctoritate Imperij veteris: adeoque nec reipubl.

Germa-

Germanicæ aut Italicæ regimen, verè ad illud Imperium pertinere. Huc facit quod Germania nunquam ſibi quidquam arrogaverit imperij in provinciam aliquam aut rempublicam quæ olim fuit Romani juris, propter Vrbis Imperium à ſeſe hodiè poſſeſſum: utut nonnulli ſcriptorum id ipſum fecerint. Certè hoc nomine nunquam controverſia aliqua mota fuit vel Galliæ vel Hiſpaniæ vel Britanniæ vel Hungariæ, ne de alijs rebuſpublicis nunc loquar. Neque vero contra hoc facit quicquam quod à multo jam tempore quæ acquiſitæ ſunt à Germanis provinciæ Romano Imperio dicantur additæ, aut quæ per injuriam ſubductæ ſunt, ab illo Romano Imperio dicantur avulſæ. Imperij enim Romani nomine Germania ipſa intelligitur, more jam pridem uſitato: qui unde ſit ortus & quomodo, infra docebitur.

Ex hiſce verò omnibus adparet, ſi ſpacium terræ videas aut proventus, per eſſe exiguum quod Germaniam Populo Romano aut Papæ ferre oporteat acceptum. Multo magis idem omni æquo judici videatur, ſi attenderit ſanguine Germaniæ Vrbem illam & Papas à tyrannide ac injuriâ vindicatos, neque illos potuiſſe ſeſe & ſua ſine Germanico auxilio tueri, immenſis porrò beneficijs & donis Pontifices Germanica liberalitate adfectos eſſe.

Inter potiſſima quæ Germania ab Vrbe adquiſivit numeraveris Primatum aut primũ dignitatis locum, quẽ Germaniç, etiam propter Imperium Romæ, jam à ſeptingentis penè annis, omnes Occidentis reſpublicæ Chriſtianæ ultrò non ſine quadam reverentia detulerunt. Nec verò id caret ratione, cùm propter memoriam priſtinæ illius Vrbis majeſtatis,

jeſtatis, tùm quod primarium Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopatum hodieque teneat Vrbs illa, in quem ipſum quoq; Cæſaribus ſua jura ſunt. Nec tamen ego dixerim ſolâ hâc de cauſsâ præ aliis Chriſtiani orbis rebuſpublicis Germaniam eminere. Vt enim nunc taceam, debere aliquam reverentiam matri ſuæ omnes Germanicas gentes, penes quas plerarumque Europæ regionum hodieque eſt imperium, id certum eſt ultrà octingentos annos inter Europæ regna nobiliſſimam habitam Francorum rempublicam, cumque illa poſt Ludovicum Pium diviſa eſt, prælatam eſſe Occidentali parti Orientalem quæ Germaniam comprehendit, utpote quæ ceſſerit filio Ludovici ſecundo genito, ut Occidentalis tertio. Certum porro eſt, ab Ottone uſque Magno, amplitudine Imperij ac potentiâ prævaluiſſe Germanicam rempublicam, per complures centum annos, rebuſpublicis vicinis omnibus Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Succiæ, Poloniæ, Hungariæ; ut quæ omnem Germaniam, in Gallia regnum Lotharij pariter & Burgundicum, Italiam propè univerſam ſinu ſuo fuerit complexa, Poloniam & Daniam aliquandiu tributarias habuerit. Itaque etiamſi fuiſſet abſque Cæſarea dignitate, tamen vel illa potentiâ ſua & amplitudine indubiè primum locum meruit Germania aliquot jam centum annis. Fatendum vero haud parvum incrementum primatui illi attuliſſe Imperatoriam dignitatem, utut illa nihil dederit poteſtatis in regna alia, ſed ſi ſummi imperij & *αὐτονομίας* videas rationem, etiam parva aliqua reſpublica, qualis exempli gratia hodiè eſt Rhaguſina, non inferiore ſit conditione potentiſſimis.

Antequam hinc abeamus, monendum & illud fortè eſt, quod ex hactenus diſputatis eluceſcit: per octingentos

&

& ultra annos caruiſſe Europam magna aliquâ republica, cujus jura majeſtatis fuerint penes Vrbem Romam, adeoque tanto jam temporis intervallo minus verè Romam ipſam potuiſſe dici gentium dominam. Haud negamus ab Vrbe illâ nomen datum ampliſſimę reipublicæ Germanicę & dari hodieque, at jus imperij & majeſtatis reipublicæ illius noſtræ non dependet ab urbe Româ. Igitur ſi Imperij Romani voce intelligas vaſtam aliquam rempublicam, cujus jura ad Vrbem illam pertineant, ut factum olim, dudum deſiit Romanum Imperium omne. Si vero ad nominis illius majeſtatem tuendam ſufficit unius Vrbis regimen, durat Romanum Imperium hodieque. Neque vero id abit quicquam à divinis vaticiniis: licet vulgò exiſtimetur æternitas quædam magni alicujus Imperij verè Romani ijs promitti. Certè ſomnium & Nabuchodonoſoris & ipſius Danielis quod habetur divinationum illarum cap. VII. quæ vulgò ſolent de Romano Imperio etiam accipi, vix Cæſarea tempora videntur attingere: quod cùm alijs tùm & Ioſepho Scaligero rectè viſum. Scilicet totum illud, de non niſi quatuor magnis futuris monarchijs ſeu Imperijs mundi, plus habet famæ quàm veri: quippe quum olim in Aſia jam ante Alexandrum tot numero floruerint ampliſſima imperia, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non autem duo tantum quod vulgo creditur: Aſia eadem poſt Romani Imperij interitum itidem habuerit hodieque ex parte habeat vaſtiſſima regna Sarracenorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum, & Sinenſium: Europa verò viderit Francorum regnum maximum jam ante adeptum Cæſareum nomen, etiam nunc verò floreat vaſta Hiſpanorum potentia & Gallorum.

Quantumvis autem hodiè anguſtæ adeò res ſint Vrbis Romæ, atque à multis jam ſeculis domina terrarum, ut ante, eſſe illa deſierit, indubiè tamen etiam tùm quando ultimo excidio in fumum & cineres abibit, habebitur *regina, habens ſcilicet regnum ſuper reges terræ.* Enimverò quæ de Babylone viſa ſunt ſanctiſſimo Ioanni *Apocalypſ. XVII. & XIIX.* ea ad ſepticollem hanc Vrbem pertinere penè dixerim ſole eſſe clarius. Bellarminus ipſemet *l. III de Rom. Pontif. cap. XIII. Secundò dici poteſt &, meo judicio, melius, per meretricem intelligi Romam, ut exponit Tertullianus l. contra Iudæos, & l. III contra Marcionem, ac Hieronymus epiſt. XVII ad Marcellam & quæſt. XI ad Algaſiam.* Illam vero ita tandem in ſolitudinem redigendam ut *futura ſit habitatio dæmoniorum & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis*, imò, ut *ultra ipſa non poſſit inveniri; ut vox cytharœdorum & muſicorū & tibia canentiū & tuba, non audiatur in illa amplius; ut omnis artifex omnis artis nō inveniatur in illa ampliùs; ut vox molæ nō inveniatur in illa amplius; ut lux lucernæ non luceat in illa amplius; ut vox ſponſi & ſponſæ non audiatur adhuc in illâ*; diſertè prædictum eſt à Spiritu Sancto *Apocalypſ. XIIX.* Ad id vero uſque tempus ſcortaturos cum illa Vrbe Reges terræ, ipſamque *reginam* fore, patet clariſſimè *ex ejuſdem capitis Verſ. VII. IX. & X*: videbunt enim fumum incendij Vrbis Reges terræ, illi qui cum Vrbe fornicati ſunt, & ipſamet etiam tùm dicet *Sedeo Regina, ſedens ſcilicet ſuper populos, gentes & linguas.* Quod inter alia manifeſtò oſtendit non accipienda illa cum Bellarmino *de Roma Ethnica regnante, idola colente, & Chriſtianos perſequente.* Illud enim ethnicæ Romæ imperium dudùm deſiit florentibus adhuc maximè Vrbis rebus, ex quo ſcilicet Cæſares facti ſunt Chriſtiani: quin omne Vrbis civile in orbem Imperium itidem jam dudum deſiit,

& tamen perſtat hodieque Roma delitiis ac divitiis affluens; ut proinde nec doctiſſimi Grotij nova interpretatio poſſit admitti, ſed de alia Vrbis illius regiâ poteſtate intelligenda omnia ſint, quâ ſcilicet circa ultimum excidiũ ſuum adhuc gaudebit. Ita vero illud Imperium deſcribitur à S. Spiritu, ut haud difficile ſit videre vim poteſtatemque ejus non ferro inniti ſed lenociniis, faſcinis & illecebris adeoque diverſi eſſe ingenii ab aliis mundi imperiis, quæ ut ferro parantur, ita vi & ferro retinentur. Meretricio enim habitu deſcribitur regnans illa Vrbs, & quæ *terræ incolas inebriaverit vino proſtitutionis ſuæ, ipſa ebria ſanguine ſanctorum & martyrum Ieſu*, quo poto ſcilicet dolere debebat illo efferens ſeſe & maxime ſibi placens. Nemo porrò eſt qui neſciat Papam Romanum eo nomine, quaſi Vrbi Romæ id contulerit S. Petrus, jam tùm per complura ſecula monarchiam aliquam immenſam exercuiſſe in Eccleſia Chriſti per omnem penè terrarum orbem, & indulgentiis, beneficiorum collationibus, diſpenſationibus, proſtituiſſe ſanctitatem Chriſtianæ diſciplinæ; ſubdidiſſe denique ſibi Reges & Principes non vi & armis ſed religione quadam, ac tali regno ſuo æternitatem polliceri. Itaque ſupereſt ſanè hodieque vaſtum aliquod Romanum Imperium, ſed diverſæ prorſus ab aliis rebuſpublicis naturæ, ſtabitque illius Vrbis monarchia iſthæc quamdiu ſupererit ipſa. At hoc Imperij genus ad Germaniam non pertinet: neque noſtri inſtituti eſt horribilem illam & ſacram tyrannidem exponere.

CA-

CAPVT XII.

Germanicum & Italicum Regnum etſi Romani Imperij appellationem ſuſceperũnt, Vrbi tamen Romæ nibil debere, ſed liberas eſſe reſpublicas; nomenq́ illud Imperij Romani aliis de cauſſis utriq́ communicatum.

IMperiũ aliquod perpetuum in Vrbem, Papam ac Petri patrimonium, nihil verò dominij aliud eſſe Germaniæ datum, hactenus eſt oſtenſum: At Germaniam atque Italiam non ſponte ſuâ ſubiiſſe Romanæ Vrbis dominatum, dictum quidem, nondum autem probatum eſt. Cumprimis tamen hujus loci eſt hoc oſtendere. Ita enim demum patebit quo titulo quove jure Romani Imperij nomen aſſumpſerint. Scilicet, quid Cæſareo aut Imperatorio nomine Germania tandem ſit conſequuta, id ſatis eſt clarè, niſi fallor, expoſitum, adeoque nemini jam non liquet Imperium Romæ juris eſſe Germanici: ut verò ipſa Germania Imperij Romani nomine audiat, longè eſt diverſum quid: & verò videri poſſit illud nomen in Germaniam Italiamq́ue Langobardicam non eſſe tranſlatũ niſi ſimul majeſtate illorũ regnorum Romanæ Vrbi conceſſa, quomodo olim ab illa Vrbe omnes provinciæ nomen Imperij Romani acceperunt eò quod ſummi Imperij jus eſſet penes illam unam. Si vero id factum eſt, longè profectò aliter ſe habet reſpublica noſtra atque vulgò exiſtimatur aut etiam illa adminiſtratur. Itaque accuratâ cura hoc omne eſt expediendum.

Et quidem excutientibus priſca monumenta haud difficile eſt obſervatu, non nupero quodam inſtituto id nomi-

nominis in Germaniam atque Italiam eſſe derivatum. Circa initia Friderici I. Cæſaris, penè ante hos quadringentos annos nomen hoc in vulgari fuiſſe uſu, ex Ottone Friſingenſi manifeſtum eſt. Is enim *l. V. cap. XXXV Chronic.* Orientale Francorum regnum ſcribit *Romanorum* vocari, Occidentali retinente Francorum nomen ſolitum. Exempla ſimilia non apud illum ſolummodo ſcriptorem ſed & complures alios cum illius tum omnis ſecuti ævi exſtant infinita. Iam ante illud tempus circa Henrici IV Imperium titulus ille videtur fuiſſe haud adeo frequentius: namq; & in ejus ævi ſcriptoribus reperire illũ eſt, rariùs tamen quam poſtea. Circa Ottonum verò ac Henrici II ætatem fueritne itidem in uſu, dubito. Nunc ſanè haud menimi id mihi lectum. Eſtque Lupoldo Bambergenſi *l. de iure Regni & Imper. cap. V.* obſervatum, Henricum IIdum, *in privilegio quodam eccleſiæ Herbipolenſis, ante unctionem & coronationem Imperialem, ſe Regem Francorum & Langobardorum nomináſſe.* Quod haud temere eſt factum, ex quo Romani Imperij nomen de Germania invaluit. Fortaſſis igitur tùm primùm ſenſim in Germaniam id nominis eſt traductum.

Verum parum fortaſſis refert quando cœperit iſthæc appellatio. Cauſſa & ratio nominis potiùs indaganda eſt: utrum ſcilicet in Germaniam Roma hodiè aliquid imperij habeat, & hinc nomen illud cœperit, an verò non habeat quidem, aliunde autem in Germaniam iſte titulus tranſlatus ſit. Prius, fateor, maximè cui vero poſſit ſimile videri, quod & ante dixi, quoniam olim illa propriè Imperii Romani nomine audierunt in quæ vim imperii Vrbs Roma exercuit. Communicatâ reipublicæ majeſtate cum nova Roma aut Conſtantinopoli, manſit poſteà nomen idem etiam Orientali Imperio, ſed cauſſa ea-

dem ſuberat, quod ſcilicet omnia illa Orientalia Romanis auſpiciis eſſent parta. Verùm enimverò jam ſuprà monuimus, ne quidem, quùm maximè latè patuit Vrbis Imperium Romanum, fuit in ditione ejus magna Germania quæ trans Rhenum & Danubium eſt, ut loquar cum Romanis. Ergo in illam quidem nihil juris vel vi ſibi vetus Roma unquam comparavit. In alia quæ cis Rhenum & Danubium hodiè Tranſalpino Germanico regno accenſentur, in Italiam item Langobardicam non minus atque in alias Occidentalis Imperii provincias, jam circa Caroli Magni ævum, omne jus ſuum Romanos perdidiſſe *cap. V.* luculentè oſtendimus. Etiam poſt Caroli ætatē Germaniā & Italiæ illud Langobardicum regnum non fuiſſe partes Imperii Romani, ſed liberas & ſui juris reſpublicas, itidem demonſtratum eſt à nobis *cap. IX.* Igitur ſi hodiè illa regna ſunt in ditione Vrbis Romæ, vel vi & armis coacta vel ſponte ſuâ libertatem ac majeſtatem ſuam Vrbi iſti detulerunt. Armis id factum non eſſe, nemo eſt qui ignoret. At neque ſponte id factum temerè credendum, cùm nullis id tabulis, nullo documento publico, nullo teſtimonio hiſtorico probari poſſit. Qui verò de tam arduo & cumprimis maximo negotio tam altum ſit in omnibus paulò antiquioribus monumentis ſilentium, quùm alia minima maxima non ſoleant facilè præteriri? Certè qui tale quid ſibi perſuadet nullo inſtructus documento, quàm temerè commodet fidem rei incertæ, nemo non videt. Ne quidem Italiam redditam Vrbi Romæ, quo tempore Otto Imperatoris nomen accepit, diſcere eſt ex hiſce verbis tabularum, quas Ottoni tribuit Baronius ad annum IↃCCCCLXII: *Inſuper offerimus tibi, B. Petre Apoſtole, Vicarioque Tuo domno Ioanni Papæ & ſucceſſoribus ejus pro noſtræ animæ*

animæ remedio noſtrique filij & noſtrum parentum, de PROPRIO NOSTRO regno civitates & oppida cum piſcariis ſuis, id eſt, Reatem, Amiternum, &c. Sunt quidem tabulæ illæ fictitiæ: ſed fictæ ab ipsâ curiâ Romanâ. Vel hujus ergo confeſſione nobis conſtat, Langobardicum regnum Ottonem tenuiſſe jure proprietario. Reclamat vero etiam illi rei & Germaniæ & Italiæ adminiſtratio, inde ab Ottonis Magni ævo ad noſtra uſque tempora uſitata. Conſtat enim ex ſuperioribus, jura Imperatoria perpetua Romanos in ſe & ſua Germaniæ contuliſſe, ac primis ſaltem centum & decem annis integra illa Germanici juris fuiſſe: itaque illo ſaltim tempore nihil imperii in Germanos & Italicum regnum ad Vrbem illam pertinuit, ſed omnis Vrbis majeſtas Germanicæ fuit poſſeſſionis. Sequente capite demonſtrabitur, Germaniam ſemper, etiam ſequuto ævo, eadem jura ſibi retinuiſſe; ut proinde nequaquam ſuā majeſtatē in Vrbē contulerit ſive Germania ſive Italia Langobardica.

Circa Conradi III & Friderici I ævum videntur cives Romani priſcam & dudum emortuam ſuam majeſtatem rurſum quadamtenus affectaſſe. Exſtat hodieque illorum inepta & ſuperba oratio, qua Fridericum coronandum ſunt adfati, apud Ottonem Friſingenſem *l. II. vitæ Friderici cap. XXI*: ut & reſponſio Cæſaris. Ex hac nonnulla adducere in medium operæ fuerit pretium. *Multa*, inquit Cæſar, *de Romanorum ſapientia, ſeu fortitudine hactenus audivimus, tamen de ſapientia magis. Quare ſatis mirari non poſſumus, quod verba veſtra plus arrogantiæ tumore inſipida, quàm ſale ſapientiæ condita ſentimus. Antiquam tuæ proponis Vrbis nobilitatem, divæ tuæ reip. veterem ſtatum ad ſydera ſuſtollis. Agnoſco, agnoſco; & ut tui ſcriptoris verbis utar, fuit fuit quondam in hac republ. virtus. Quondam dico, atque utinam tam veraciter, quàm libenter*

nunc dicere poſſemus. Senſit Roma tua, immo & noſtra, viciſſitudines rerum. Sola euadere non potuit æterna lege ab auctore omnium ſancitam, cunctis ſublimari globo degentibus, ſortem. Quid dicam? Clarum eſt qualiter primò nobilitatis tuæ robur ab hac noſtra urbe translatum ſit ad Orientis urbem regiam, & per annorum curricula ubera delitiarum tuarum Græculus eſuriens ſuxerit. Superuenit Francus, vere nomine & re nobilis, eamque quæ adhuc in te reſidua fuit ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoſcere antiquam tuæ Romæ gloriam, Senatoriæ dignitatis gravitatem, Tabernaculorum diſpoſitionem, Equeſtris ordinis virtutem & diſciplinam, Ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Noſtram intuere remp. Penes nos cuncta hæc ſunt. Ad nos ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium: virtute ſua amictum venit: ornamenta ſua ſecum traxit. Penes nos ſunt Conſules tui: penes nos eſt Senatus tuus: penes nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi te conſilio regere, equites Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt. Poſt pauca addit: *Imploraſti miſera felicem, debilis fortem, invalida validum, anxia ſecurum. Eo tenore vocatus, ſi vocatio dicenda eſt, veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps uſque in præſentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus poſſeſſor ſum. Eripiat quis, ſi poteſt, clauam de manu Herculis. Siculus in quo confidis fortè hæc faciet? Ad priora reſpiciat exempla. Nondum facta eſt Francorum, ſive Teutonicorum manus invalida. DEO largiente, vitaque comite, & ipſe temeritatis ſuæ quandoque capere poterit experimenta. Juſtitiam tuam, quam tibi debeam, exquiris? Taceo, quod Principem populo, non populum Principi leges præſcribere oporteat. Prætermitto, quod quilibet poſſeſſor poſſeſſionem ſuam ingreſſurus nullum conditionis præiudicium pati debeat.* Hæc omnia Cæſar. Quæ profectò indicant, minimè tùm majeſtatem

Germa-

Germanici & Italici regni fuiſſe penes Vrbem. Narrat idem Otto *cap. XXII;* quùm, prælio intra Vrbis mænia exorto, cives Romani miſerè à Germanico milite ſternerentur, inſultatum eſſe illis hunc in modum: *Accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc eſt pecunia, quam tibi Princeps tuus pro tua offert corona. Sic emitur à Francis Imperium. Talia tibi à Principe tuo tibi redduntur commertia, talia præſtantur juramenta.* Porrò ſi Romæ donavit unquam Germania ſuæ reipublicæ jura, utique & illâ inconſultâ neque legum ferendarum neque belli & pacis neque fœderum neque creandorum magiſtratuum poteſtatem habuiſſet. Nunquam vero ad comitia vel Germanici vel Italici regni Roma advocata eſt. Nunquam iis per legatos interfuit: ſaltim ut pars rerumpublicarum, multo minus ut domina. Haud diffitemur Romani Papæ Legatos perfrequenter adfuiſſe. At ne illi quidem auditi, ut miſſi à domino reipublicæ Germanicæ aut Italicæ, ſed vel alterius negotij ergò, vel ut miſſi ab Eccleſiæ antiſtite primario, utque ille ſe credi mavult, capite unico: quomodo & aliorum regnorum comitiis auliſque hodiè Papales Nuncij vel Legati à latere, quos vocant, adhæreſcunt.

Itaque quum ante Ottonis tempora & Germania & Italia Langobardica liberæ fuerint ab omni Vrbis dominio & jure, neque per vim aut ſponte in ditionem Vrbis redierint; manifeſtum eſt; Germaniæ Italiæque regionem ab Vrbe Roma ne hodiè quidem ullâ ex parte dependere, adeoque nomen Imperii Romani aliâ plane de cauſsâ ijs competere. Liquet hinc porrò, quàm procul à vero ſint, & Germanicæ per Italiam reipublicæ adverſa, quæ habet vir ſanè maximus Hugo Grotius, admirandi operis *de iure belli ac pacis l. II. cap. IX. §. XI: Ex electione ſeptem princi-*

pum qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus eſt, jus habet imperandi Germanis ſecundum eorum mores: ex approbatione verò populi Romani fit idem rex aut Imperator Romanorum aut, ut hiſtorici ſæpè loquuntur, rex regni Italiæ: atque eo titulo ſub ſe habet quæcunque populi Romani fuerunt, neque pactionibus aut derelicti occupatione aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium conceſſerunt. Vnde illud quoque intelligi facilè poteſt, quo jure Epiſcopus Romanus, vacante Imperio, inveſtituras tribuat feudorum Imperij Romani, quia ſcilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. Solent autem quæ ſunt corporis alicujus per primam perſonam, corporis nomine, expediri, ut alibi quoque diximus. Neque vero malè Cynus & Raynerius tradidere, ſi Imperator Romanus morbo aut captivitate impediretur fungi Imperio, poſſe ei vicarium dari ab ipſo populo Romano. Hæc ſanè Grotij ferenda non ſunt; quod pace amici dixerimus. Primus error eſt, approbatione Papali opus eſſe ut Rex Germaniæ ſit Imperator Romanus, qui & ante excuſſus jam eſt, & *cap.ſeq.* fiet clarior. Alter eſt, regnum Italiæ & Romanum Imperium propriè ſic dictum idem eſſe: quod itidem falſitatis jam notavimus & mox fiet pluribus. Gravius tertium erratum eſt, interregni tempore ad Papam pertinere collationem feudorum Imperij Romani, h.e. ut ipſe quidem intelligit, omnis etiam Regni Italici: cùm tamen illud regnum nullo nunc jure pertineat ad Vrbem Romam; neque Papæ in regno illo jus competat Vicariatus, quale Palatino & Saxoni in regno Germanico tempore interregni. Et ſanè haud legas à Germanis, penes quos majeſtas eſt, aut etiam ab Italis, unquam Vicariatus aliquod jus tale per Regnum Italiæ Papis eſſe conceſſum. Cardinalis Tuſchi verba ſunt: *Ex privilegio Vinceslai Romanorum Imperatoris*

ratoris omnia jura Imperialia ſunt translata in Ducem Mediolani Vicarium perpetuum. Alij vicariatum illum adſcribunt Sabaudo. Quod definire non eſt noſtrum. Peſſima omnium eſt, quam Grotius probat, Cyni ac Raynerij ſententia, præſertim ſi eam intelligas, ut ipſi illi accipiunt. Scilicet illis Imperator quoque dicitur ratione Germaniæ, Grotio vero tantùm ratione regni Italiæ & Vrbis. Liquidum autem niſi fallimur, factum à nobis eſt, Romano populo in Germaniam atque Langobardiam, imò & in ſuam Vrbem nihil eſſe ſummæ majeſtatis, ſed ſolius Germaniæ eſſe dare Vrbi illi Imperatorem adeoque etiam Vicarium ejus, ſi neceſſitas id efflagitet. Neque verò ipſe Papa in regnũ Italiæ quicquam ſibi arrogavit hactenus propter Vrbem, cui præſidet, ſed quaſi in donata ſibi à Magno Conſtantino. Qua de re alias.

Vt vero illa, quæ Grotius concedit Papæ in res Italiæ, ſunt iniqua: ita & iniquum fuiſſe cùm Pauli IV poſtulatum de reſignanda per Carolum V Imperatoriâ poteſtate in manus Papæ, tum nuperum conſilium Michaëlis Lonigi de Electorali dignitate per Pontificem conferendâ, ex jam ſuprà dictis adparet clariſſimè. Scilicet ſi tollas Hildebrandinam illam in omnes reſpublicas Chriſtianas omnipotentiam, ne prætextum quidem aliquem juris habet Papa in res Germaniæ alium quàm qui dependeat à juribus Vrbis Romæ. Illi autem Vrbi verè nihil competit juris circa conſtitutionem Regni Germanici & Langobardiæ, adeoque nec competit Papæ. Sed & jus dandi Cæſarem Romanis unius eſt Germaniæ, ut ſuprà ex parte jam eſt demonſtratum.

Tantum abeſt verò, Langobardiam ac Germaniam reipublicæ ſuæ majeſtatem Vrbi Romæ ſubdidiſſe, ut cum

Vrbe

Vrbe nunquam in verè unam rempublicam coierit. Eſt nimirùm verè una, quæ iiſdem legibus ſummi imperii utitur adeoque iiſdem ſummis comitiis. At vero Romani ad Germanica comitia nunquam ſunt vocati, ut nec ad Langobardica, quando de ſumma rei fuit conſultandum. Doceat illam reipublicæ diſtinctionem vel ſola trina Cæſarum coronatio ab Ottonis M. uſque ævo inſtituta. Eſt quippe corona ſingularis alicujus regiæ poteſtatis inſigne: quare quum & Germaniæ & Langobardiæ ſuæ ſint coronæ diſtinctę à corona Vrbis Romę, quadamtenus treis eſſe reſpublicas adparet, non unam ſimplicem. Nec verò quâ Aquiſgrani inſignitur Cæſar, corona eſt Imperii Vrbis Romæ, ſed Regni Germanici, aut, ut olim, loqui mos fuit, regni Francorum. Eſt nimirum *Aquiſgrani palatium ſedis regni Francorum*, ut inquit Otto Friſingenſis *l. V. Chron. cap. XXXV.* alibi *Archiſolium regni Francorum* nuncupatur. Ipſemet Fridericus I epiſtola ad Ottonem illum Friſingenſem, patruum ſuum, coronam Aquiſgranenſem adpellat coronam *Regni Teutonici.* Eodem modo loquitur Æneas Sylvius, legatus tum Friderici III Cæſaris, *oratione*, quam habuit Cæſaris nomine *ad Innocentium IIX Papam*, Quadamtenus igitur tres diſtinctæ reſpublicæ ſemper fuerunt, Regnum Germaniæ, Regnum Langobardiæ ac Imperium Romæ; quadamtenus inquam. Omni enim ex parte non diſtinguuntur, quum habeant unum ſummum magiſtratum Cæſarem; illius autem conſtituendi jura penes ſolam ſint Germaniam.

Quantumvis autem hæc ita ſeſe habeant, manet tamen perobſcurum illud quod ante diximus, ſi Germania & Italia non conceſſerunt in ditionem Vrbis Romæ, ſuntq; etiamnum liberæ reſpublicæ, unde ergo acceperint nomen Impe-

Imperij Romani. Cæterùm id potuit fieri etiam citra ſubjectionem, nec uno modo. Scilicet hodiè & Regna multa & Principatus plurimi nomina ſua ſortiuntur à primariâ quadam Vrbe aut arce, etſi penes illam non ſint ſummæ poteſtatis jura, ſed fortè domicilium illa præbeat ſummò magiſtratui. Pervulgare quoq; eſt, ut conſociatæ quædam reſpublicæ nomen accipiant unum ab una aliqua ſociarum, quæ tamen in reliquas nihil habet juris præcipui, multò minùs aliquod dominium. Ita olim Achæi omnibus fœderatis dedêre nomen, & in Romani Imperij complexu fuerunt ſocij: hodieque Helvetij fœderati vulgò Suiceri, ut Belgicogermani Hollandi nuncupantur. Familiariſſima eſt hæc appellandi ratio, quando multæ reſpublicæ unum habent communem magiſtratum ſummum, aut unum Principem, maxime ſi accedat tempus valdè longum. Paulatim enim appellatio illius reipublicæ, unde Principi primarium eſt nomen, derivatur ad omnes alias. Itaque apparet profectò, propter nomen illud Imperii Romani de Germaniæ & Langobardiæ, abſolutâ majeſtate nihil ſequius ſuſpicandum eſſe.

Obſervandum porrò, nomen illud hûc initiò derivatum fuiſſe, fortaſſis non tàm ex decreto quodam aut conſulto Ordinum vel Germaniæ vel Langobardiæ, quàm conſuetudine quâdam ac uſu vulgi. Neque enim conſtitutionis alicujus publicæ vel leviſſimum comparet indicium in omnibus rerumpublicarum iſtarum hactenus editis monumentis. Mirum vero ſi rei tàm magnæ nulla ſit memoria litteris mandata. Facit huc, quod ante annum Chriſti CIↃ illius nominis aut nullum aut rariſſimum fuiſſe etiam in ipſo vulgo uſum, meritò colligas inde, quoniam vix reperitur in quoquam ejus ævi ſcripto, in Ger-

mania aut Langobardia Imperij Romani nomen uſurpatum, contrà quàm profectò hodiè inolevit conſuetudo. Non vero eſt novum, ut uſu paulatim invaleſcat provinciæ adpellatio, quæ non cœperit ex reipublicæ quodam inſtituto. Neque una de cauſsa vulgus olim induci facilè potuit, ut Romani Imperij nomen in Germaniam & Langobardiam transferret, poſtquàm æterno fœdere Germaniæ & Langobardiæ Regibus Cæſareum Vrbis Romæ Imperium ſummum ceſſit. Primò enim Imperium Vrbis Romæ, quod verè eſt Romanum, creditum paſſim eſt dignitate præcellere regnum Germaniæ & Langobardiæ, utut nulliùs ampliùs eſſet potentiæ. Itaque quum tres illæ reſpublicæ quaſi unum corpus conſtituerent, ab eâ, quæ opinione erat auguſtior, facilè devolutum eſt nomẽ in totum corpus. Accedit, quod Reges ſtatim a coronatione Romanâ Imperatores Romani audierint, reliquorum regnorum nullâ factâ mentione: quaſi ille titulus abſorpſerit alios minores, forte quod aut ſimplicitas, aut procul faſtus magnanimitas, illâ tempeſtate, non ferret cumulum titulorum, nomen autem Cæſareum ea ætate adeo haberetur magnificum ut adjicere quidquam videretur indecens. Conſtat ſanè eos nec adjeciſſe titulos Ducatuum & Comitatuum, quos tamen unà cum Regia & Imperatoria dignitate poſſidebant. Primus, quantum videtur, Fridericus II præter Cæſareum nomen Siciliæ & Hieroſolymæ titulum uſurpavit, Svevici tamen Ducatus titulo non adjecto. Eum imitatus, centum & quinquaginta ferè annis poſt, Carolus IV & Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex voluit dici. Ejus filius Sigiſmundus & Imperator & Hungariæ & Bohemiæ rex audivit. Fridericus III non multò poſt adjecit

plurima

plurima propter Ducatus Comitatus & alias provincias ſibi ſubditas, Germanici licet Imperij feuda eſſent. Qui mos ab eo uſque tempore invaluit. Primus Maximilianus, Rex etiam Germaniæ voluit dici. Quin ille verò titulus Romanus nude poſitus facile quoque vulgus inducere potuerit, ut Imperii Romani nomen tribueret cui proprie non debebat, ecquis dubitaverit? Quocunque autem initio cœperit primum appellatio illa, plebeia nimirum quadam conſuetudine aut publico decreto, circa annum CIↃC Primores etiam reipublicæ, ipſoſq; Cæſares & Reges Germaniæ nominis illius uſum approbaſſe, non eſt negandum. Non quaſi id decreto quodam ſanxerint, ſed quod paſſim receptam loquendi rationem etiam ipſi ſint ſequuti. A Conradi certè III ac Friderici I ætate videtur ipſa quoque reſpublica Germanica hoc nomen Imperij Romani ſibi ſumpſiſſe: uſque adeò apud ipſos magnates id fuit in frequenti uſu, quod docent tabulæ & monumenta alia. Eo promptiores autem videntur fuiſſe Proceres & Germaniæ & Italiæ in ſuſcipiendo illo nomine, quod ſanctiore in exiſtimatione eſſet nomen illud, quodque paſſim crederetur Imperium aliquod Romanum inſigne conſtitui oportere, commodiſſimè autem fieri id poſſe, ſi illæ provinciæ, quibus æternâ ſocietate junctum jam tùm erat Vrbis Romæ Imperium, illud nomen quoque ſibi adoptarent. Neq; fortaſſis quoſdam animos non & error occuparat: in unum Imperium, quod Romanum ſit appellãdum, ex divina conſtitutione omnes reſpublicas oportere convenire. Sanè hujus ſententię apud ſcriptores licet haud pauca invenire veſtigia. Promota fortaſſis omnia fuerunt per juris Romani, ſeculo duodecimò renati, interpretes; quorum permultos ſanè ita & lo-

quutos & ſenſiſſe conſtat: quaſi unum à Deo ſit totius mundi Imperium, ut una Eccleſia, inſtitutum, utriuſque ſede primariâ Vrbi Romę attributâ.

Ex eo igitur tranſiit Imperij Romani nomen in Germaniam & Italiam Langobardicam. Si verè autem rem omnem volumus æſtimare, nomen illud Auguſtum hûc tantùm eſt traductũ, Vrbi Romæ nihil eo ipſo eſt conceſſum. Certè poſtillà non magis atque antè quicquam mutavit Germanię atque Langobardię reſpublica. Perſtat eadem libertas; eadem adminiſtrandi ratio. Æquè hodiè diſtinguuntur ab Imperio verè Romano, i. e. cujus jura dependent ab Vrbe Româ, atque olim, antequam ſcilicet Cęſarea dignitas ad Germanos eſt delata. Neutra reſpublica provincia aliqua eſt Romanę Vrbis; voce provinciæ acceptâ ex uſu veteri, pro regione, quę ſit ſubdita Vrbi Romę. Hinc hodieque ſeorſim corona Germanica, ſeorſim corona Romana accipitur, atq; cum hâc ultimâ demùm integer Imperatorius titulus adſumitur. Igitur etiamnum Imperij Romani nomen propriè deſignat Imperium illud Vrbis; quod Germaniæ eſſe datum perpetuum capite XII probavimus: ſecundariò Germaniam ſignificat & Italiam Langobardicam. Certè haud prædicatur illud nomen de omnibus illis συνωνύμως, ut loquuntur ſcholæ Logicorum.

Non cumulabo multa teſtimonia ex variis ſcriptorib⁹ petita, unde diſcrimẽ Imperij Vrbis propriè dicti, & Imperij Romani in Germaniâ & Italiâ Langobardica, appareat; quũ tota adminiſtratio reipublicæ, & Cęſareus titulus cui hodiè ſimul *Regis Germaniæ* nomen ſemper adjicitur, id ſatis doceant. Id ſilentio præterire non licet, poſſe cui haud ſine cauſſa fortaſſis videri illam Imperialis nominis aſſumptionem,

ptionem, ut nullâ neceſſitate exigente fuit inſtituta, ita Germaniæ non tantùm non fuiſſe utilem, ſed etiam detrimentoſam. Certè nihil cauſæ obtendi poteſt, quur debuerit neceſſario id nominis in Germaniam atq; Italiam Langobarticam derivari. Neque enim jus ullum ſive divinum ſive naturale id ipſum potuit expoſcere, prout ex ijs quæ ſuprà diſputavimus, clariſſimum eſt. Neque appellatione illâ dignitatis aliquid Germaniæ accrevit, quippe quę & aliàs nobiliſſima ſit regionum Europæ, & ſi diſertè audiiſſet *domina Romani Imperij* (exigui ſcilicet illius Vrbici) qualis profectò eſt, longè apertiùs majeſtatem ſuam oſtendiſſet. Ambigua verò illa ſignificatio nominis Romani Imperij non poteſt non obſcurare jura auctoritatemque Germanię: prono ſcilicet errore ſubdita credi poteſt illius cujꝰ eſt domina. Et verò haud pauci, tantùm unâ illa de cauſsâ, graviſſimè peccaverunt, quod in republicâ profectò momenti eſt maximi. Neque Papa Romanus plus aliquandiu in Germaniâ, quàm in Galliâ, Hiſpaniâ vel alibi potuit; niſi quod Romanum Imperium adeoq; & Germaniam à ſe dependere nonnullis perſuaſiſſet. Qui, ſi per errorē aliquid juris Papæ tribuiſſent in Imperio Vrbis Romæ, & Germaniam ritè diſtinxiſſent, nihil detrimenti ac turbarum hinc cepiſſet res Germanica; cepit autem plurimùm & ſatis quidem frequenter. In univerſum porrò nemini paullò prudentiori ignotum eſt, quàm facilè convellantur jura rerumpublicarum, quæ fortè fortunâ ſub uno Principe cojerunt, ſi pro antiquis & diſtinctis nominibus, unū aliquod novum commune aut unum ex multis pro omnibus, uſurpetur. Vidit hoc ipſum ſapientiſſimus Cæſar Maximilianus I, Auſtriacæ familiæ decus, & remedium adhibuit magnâ prudentiâ. Quem enim hactenus neglexerāt

Cæſares titulum, cum proſpiceret imminens reipublicæ periculum, adjecit Romano nomini; *Regem* ſe *Germaniæ* dicens. Quo exemplo ducti Auguſtiſſimi Succeſſores ſtudioſè etiam idem illud obſervarunt hactenus. Niſi autem admodum fallor, debetur hoc conſilio Ioannis Tritthemij, qui omnes ante ſe Germanos antiquarum rerum haud proletariâ peritiâ longò intervallo ſuperavit. Is certè fuit apud Cæſarem illum ſummæ exiſtimationis, & de hoc negotio hiſce verbis differuit *libri de origine Francorum fine;* poſtquàm paulo ante Regno Germanico una cum alijs *Italiam univerſam præter bona Eccleſiæ* accenſuiſſet: *Rex igitur Germaniæ quicunque pro tempore fuerit, duo habet, Regnum & Imperium. Ad regnum per Principes eligitur, & nullius confirmatione indiget, ad Imperium verò quod eſt Regno jure annexum per Pontificem Romanum & confirmari debet & ungi. Regnum eſt Germanorum nomine dicendum, Imperium verò Romanorum. Confuſè loquuntur qui dicunt Maximilianum Regem Romanorũ, cùm Germanorum dicere potius debuiſſent. Similiter qui dicunt Coloniam, Treverim, Leodium, Metim, vel alias Vrbes Germaniæ, civitates eſſe Imperiales, cùm ſint Regales, non rectè loquuntur. Nam ſi aliquando contingeret à Germanis Imperium auferri, maneret nihilominus Germaniæ regnum, ut nunc eſt, liberũ, omnes provincias & civitates per omnia loca præſcripta ſibi habens, ut hodiè habet, ſubjectas.* Hæc Tritthemius: & quidem rectiſſimè, niſi quod Germaniæ Imperij Romani nomen omninò velit ereptum. Quod adeò inolito jam ejus uſu, nec poteſt fieri; neque fas fuerit.

Cæterùm Maximilianeo illo inſtituto ſatis iterùm cautum eſt Germaniæ libertati pariter atq; dignitati: licet ex animis omnium tenebræ, quas invexit ambiguum illud Imperij Romani nomen, nõ potuerint hactenus excuti.

Niſi

Niſi tamen admodum fallor, quum hodie ab omnibus Cæſaribus accuratè adeo diſtinguantur Germaniæ jura à rebus veri & propriè dicti Imperij Romani, haud minus atque regnum Francorum à Romano Imperio diſtinctum eſt à Carolo Magno, nefas pene eſt etiamnum pati ſibi fucum fieri ab illâ vocum ambiguitate. Neque vero, nunc ſanè, fulgente adeò clarâ luce, eſt cur quis merito amplius hæreat in antiquis illis tenebris. Sed & obſervatum quoque idem eſt diſcrimen ſatis accuratè à Melchiore Goldaſto, viro rerum Germanicarum longè peritiſſimo: ceu apparet *ex Rationali eius ad Reſcriptum Ludovici Germanici tom. II Conſtitutionum Imperialium*, alijſq; alibi ab eo diſſertatis. Imo verò jam antè accuratè diſcrimen hoc obſervatum eſt, cum aliis multis tum Lupoldo Bambergenſi in libro doctiſſimo quē pro dignitate Imperii ſcripſit Ludovico IV Cæſare.

CAPVT XIII.

Imperii Vrbis Romæ & eorum quæ inde pendent jura, etſi à Papa omnibus modis ſint convulſa, etiamnum tamen ad Germaniam pertinere.

REdeundum nunc eſt ad Imperium illud perpetuū quod Germaniæ in Vrbem, Papam & Petri Patrimonium eſſe in Ottone Magno conceſſum, atq; ad Hildebrandi uſque tempora integrum perſtitiſſe *decimo capite* prolixè demonſtravimus. Ad illud penitus evertendum ſequutis ſeculis Papas omnem moviſſe lapidem, notius eſt quàm ut egeat probatione. Namque Cæſareum jus eligendi Papam aut certè electum confirmandi, item auctoritatem inquirendi in eorum mores & vitā, impietatis horrendæ damnaverunt. Regimen Vrbis Romæ ſibi ſolis arrogavere. Imperialem dignitatem ac vim ſui eſſe juris profeſſi, ſibi ſumpſerunt poteſtatē conſtituendi Cæſares & cōſtitutos viciſſim pro arbitrio removendi. Deniq;

ne quid deeſſet ſummæ injuriæ, ne quidem in ſibi donatū patrimonium agnoſcunt amplius Cæſaream juriſdictionē: quem in ſenſum ſcribit Cardinalis Tuſchus: *Papa in temporalibus Eccleſiæ Romanæ eſt Imperator & ſupra Imperium.* Vno verbo, id quantum in ſe eſt laborarunt Papæ, ne quid præter nudum Cæſareum nomen ſupereſſet.

Horum nihil verò auditum fuit vel tentatum ante Hildebrandum, quem Gregorium VII vocant. Hoc auctore autem omnia conturbata in Republicâ, ut in Eccleſiâ totius mundi. Exemplum & doctrinam ejus omnibus ſucceſſoribus ſtrenuè ſectantibus, ac Canoniſtarū catervâ nihil non defendente quod os Pontificium pronunciavit.

Cæterùm ſi ſpectemus jura & rationes, quare contra anteacti temporis uſum ac leges, Pontifices hodiè iſta quę antè diximus non vereantur aut dubitent ſine rubore ſibi arrogare, ſex fortaſſis numero ſunt quibus omnia nituntur. *Primum* eſt omnipotentia Pontificiæ ſedi à Chriſto conceſſa, non ſpiritualis modò ſed temporalis etiam, uti loquuntur, in omnia regna & reſpublicas: Imperatores ſcilicet, Reges, Principes juribus & poteſtate exuendi, ſubditos à jurato obſequio abſolvendi, reſpublicas & populos peregrinis donandi. Ex hoc ſanè principio fluxerunt Hildebrandi novi ac portentoſi dictatus quos appellat cùm alij tùm quoque hi: *Quod ſolus Papa poſſit uti Imperialibus inſignijs. Quod illi liceat Imperatores deponere. Quod ſententia illius à nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit. Quod à nemine ipſe judicari debeat. Quod à fidelitate iniquorum* (Principum puta quos ipſe iniquos cenſuerit) *ſubjectos poteſt abſolvere.* Hiſce innixi Papæ Cęſares noſtros ſolio ſuo depellere auſi ſunt aliquoties, ſubditis juramento ſolutis & ad rebellionem ſacra quadā au-

ctoritatę

ctoritate concitatis. *Alterum* Papalium conatuum prętextū meritò dixeris Tabulas, quibus ferunt à Conſtantino Magno Romanis Pontificibus donatam eſſe Vrbem Romam & totius Italiæ Cæſarçum dominium. Ijs cœpiſſe uti curiam Romanam jam tùm Ottonis III ætate, conſtat ex ejus tabulis Sylveſtro II datis, pro quarum fide contra Baronium *capite X* eſt pugnatum. Per aliquod inde tempus videntur nullius fuiſſe auctoritatis, donec Leo IX ijs uſus eſt contra Conſtantinopolitanum Patriarcham Michaëlem. Nemo tamen illas videtur adeo adhibuiſſe ad infringenda Cæſarea Germaniæ in Romā jura, atq; primus Hildebrandus, qui donationis Conſtantinianæ mentionē nō dubitavit inſerere formulæ illi jurisjurandi, quod Hermanno Luzelburgenſi Anti-Cæſari Romā tranſmiſſum Annalibus ſuis ad annum CIↃ LXXXII inſeruit Baronius. *Tertius* Paparum prætextus videtur eſſe coronatio Imperialis: quam Pontificii juris fuiſſe à Caroli uſque Magni ævo non poteſt negari: ut nec negari poteſt, vulgo ſolitum abſtineri ab Imperatorio titulo ante coronam illam acceptam. Ex his duobus verò proximis fontibus fortaſſis fluxit illud, quod in Germaniæ jura plus ſibi arrogaverint Papę, quàm in Galliam, Hiſpaniam, aliaque regna. Scilicet ex donatione Conſtantinianâ omne Vrbis Italięque dominium ſibi tribuentes, credentes porro coronationem illam jus dare adprobandi aut reprobandi; Cæſaris conſtituendi poteſtatem ad ſe primò atque per ſe pertinere præ ſeſe tulerunt, Germaniæ vero electionem competere non niſi ex ſuâ voluntate ſuſpenſam: ante coronam vero neminem verè gaudere Imperiali dignitate. Iuvit vero procul dubio ad hujuſmodi placita perſvadenda Hildebrandina iſta omnipotentia, quam primo loco collocavimus. Ex duobus pro-

 ximis

ximis fontibus videtur quóque manaſſe illa Innocentii III ſubtilis ſanè philoſophia, quam habet *ſerm. I de B. Sylveſtro. Conſtantinus ſecedens Byzantium coronam capitis ſui voluit B. Sylveſtro conferre, ſed ipſe pro reverentiâ clericalis coronæ vel utilitatis cauſsâ noluit eam portare: verumtamen pro diademate regio utitur auro Phrygio circulari.* Et paulo poſt: *Romanus itaque Pontifex in ſignum Imperij utitur regno* (corona ſcilicet regia) *& in ſignum Pontificij utitur mitrâ: ſed mitrâ ſemper & ubique utitur quia Pontificalis auctoritas eſt prior & dignior & diffuſior quàm Imperialis.* Ad primum tamen fontē pertinent quæ idem eodem de argumento differit *ſerm. III de coronatione. Eccleſia ſponſa non nupſit vacua, ſed dotem mihi tribuit abſque pretio protioſam, ſpiritualem plenitudinem & latitudinem Imperialem: magnitudinem & multitudinem utrorumque. In ſignum ſpiritualium contulit mihi Mitram, in ſignum temporalium dedit mihi Coronam: mitram pro ſacerdotio & coronam pro regno: illius me conſtituens in Vicarium, qui habet in veſtimento & ſemore ſuo ſcriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.* Hæc idem. Sed non fortaſſis intereſt Pontificum, quo titulo coronas ſibi ſumant, modò habeant. *Quarto* loco collocaverim Privilegia Germanicorum Cæſarum. Certè Baronius credit ſufficere illa pro aſſerendo jure Papalis poſſeſſionis temporalium bonorum. *Neq;* (inquit ad annum CIↃC XCI) *ob eam cauſam, quod nolint novatores ſuffragari nobis ipſum Conſtantini decretum, mox iure excidit eadem temporalium rerum dominio, quód certum & indubitatum in omnibus eſt, plurium Imperatorum diplomatibus poſſidere. Neque enim tot tantoſq; Pontifices Romanæ Eccleſiæ, qui claruerunt à Conſtantini temporibus, quos contigit ſæpè adverſus Principes de iuribus Romanæ Eccleſiæ diſputare, legimus ea voluiſſe defendere eiuſdem Conſtantini Edicti auctoritate, ſed*

potiùs

potiùs Evangelicâ, ut S. Leo, Felix, Bonifacius, Gelaſius Hormildas, & Gregorius & reliqui ſucceſſores omnes. Ordine *quinctum* videtur eſſe auctoritas juris Decretalis Pontificij. Hoc ſanè fundamento quàm maximè ſolent Canoniſtæ decertare, pro Iure Papali cùm alio omni tùm etiam eo quod ſibi arrogant illi in ijs quæ ante Hildebrandum juris fuiſſe Cæſarei Germanici probavimus. *Vltimo* poſuerim nudam poſſeſſionem: non quod illa meo judicio inferiore reliquis ſit conditione; ſed quod vulgò ad illũ titulum haud facilè quis ſolitus ſit provocare. Petro tamen Pythœo, viro clariſſimo ac doctiſſimo nec partis Proteſtantium, teſte, primo penè loco habuit illam Paulus III Papa. Verba ejus *præfatione in Franciſci Guicciardini diſcurſum de origine poteſtatis ſecularis in Romana Eccleſiâ* hæc ſunt: *Itaque ſimpliciter, magis etiam ingenuè quàm cautè, Paulus III, cùm de ſummâ ipſius poteſtate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos ſolitus erat ut ſcholaſticos & rerum rudes, qui à Christo eam tàm anxiè repeterent, cuius ſe poſſeſſionem vel ſolam, optimum & firmiſſimum titulum, habere dicebat, quam viribus opibusq; ſummis, civitatibus munitiſſimis, & potentiſſimorum Principum ſibi coniurantium auxilio tueri ac defendere poſſet.* Hæc Pythœus.

Hiſce ſex fundamentis nititur omnis cauſſa Paparum circa jura Cæſarea, quæ invaſerunt ab Hildebrando uſque principe. Neque verò, quod ſciam, ex aliis locis ſolent Papales defenſores ſua argumenta deducere: neque fortaſſis alius fingi vel inveniri poteſt excuſandis injuriis Si rectè verò rem omnem velimus æſtimare, haud eſt obſcurum perſpectu, omnia illa fundamenta nimis eſſe lubrica, nec ſufficere ferendis tot ſuperſtructis invaſionibus. Nolo nunc verba facere de omnipotentiâ illâ

Hildebrandinâ (namque monſtroſa iſthæc arrogantia auctore Hildebrando cœpit) quâ putant Papæ poſſe ſeſe ut alios Reges ita & Cæſares ſolio dejicere, ſubditos eorum jurisjurandi religione exſolvere, ſe verò eſſe *ἀνυπευθύνους*: quùm iniquitatem & impietatem illius dogmatis omnibus ſeculis non Galli tantùm (qui etiamnum, optimo inſtituto, carnificis manu, â cervicibus ſuis tyrannica hæc dogmata removent) verùm etiam ex Germanis plurimi demonſtraverint. In medio ſunt hodieque ex omni ævo libri hujus argumenti inſignes etiam à Germanis editi. Vtque ad interregnũ uſque fulmina Pontificia multos turbaverint, tamen ex eo tempore, ceu bruta contempta ſunt à Germaniæ Ordinibus, & Ludovico IV Cæſare publicâ quoque auctoritate eliſa. Certè anno CIↃCCCXXXVIII Ordinum omnium conſenſu cautum eſt quod ſcribit Rebdorfius in Annalibus: *Quicunque de cætero ipsũ Ludovicum tenet excommunicatum, aut qui ceſſat à divinis, propter ſententias Papales, proſcriptus ſit corpore & in rebus.* In codicẽ legum Saxonicarum jam initio ſeculi decimi tertij tranſiit: *Papa non poteſt nec aliquis alius Dominum Imperatorem excommunicare, poſtquam conſecratus eſt & unctus, niſi ſolùm in tribus caſibus: ſi dubius ſit in fide: ſi repudiet uxorem ſuam legitimam: ſi deſtruat Eccleſiam.* Item: *Excommunicatio neminem debilitat in iure terræ ſeu feudi, niſi ſequatur regularis proſcriptio.* Quàm debilis hodiè ſit vis fulminum Papalium in Italia, docet uſus. Petri Pythœi verba ſunt: *Prudentius etiam Italorum pars maxima, quæ Pontificem Romanum non uti Deum aliquem, aut Dei Vicarium, ob fulmina illa, quibus iam pene totus inermis eſt: ſed ut Principem viris, armis, urbibus, caſtellis, fœderibuſque potentiſſimum, reveretur & obſervat.* Cæterùm quod ante dixi, non eſt meum, impietatem

pietatem & iniquitatem Hildebrandinæ hæreſcos pòſt alios oſtendere; præſertim quando optimè cauſam hanc contra Bellarminum ipſum non adeò pridem egerint duo Barclaii, pater & filius, eximiâ ſanè eruditione viri ac qui inter Proteſtantes noluerunt numerari. Adparet vero hinc, primum fundamentum Papale eſſe iniquum.

Porrò & donationem Conſtantini credo explodi hodiè ab ipſamet Papali curiâ: poſtquam veritas ingenuã illam confeſſionem tomo XII Annalium inſertam ipſi Cardinali Baronio, Hildebrandinæ hæreſeos patrono maximo, expreſſit. Itaque hoc quoque telum jam fractũ eſt, quo olim orbem penè omnem concuſſum & dementatum eſſe à Papis, fere per ſexcentos annos, certiſſimum eſt; ut falſiſſimum illud Baronij, *Papas Evangelicâ potius auctoritate contra Principes voluiſſe iura Eccleſiæ ſuæ defendere, non vero Edicto illo Conſtantiniano.* Sanè fateor multos Papas Edicto illo non uſos. At illorum ætate nondum erat notum illud figmentum. Poſt Hildebrandum verò ad noſtra uſque tempora fabulæ Sylveſtri & Conſtantini curiæ Papali fuerunt gratiſſimæ. Rectè Franciſcus Guicciardinus *l. IV. hiſtor.* ſcribit, *famam illam de Conſtantianâ donatione à Pontificibus diligenter fuiſſe enutritam & ſuſtentatam, eorumque auctoritate à multis creditam.* Et vero, quomodo Italiæ aut Vrbis Romæ Imperium ſibi deberi, *Evangelicâ auctoritate*, contra Cæſares Papæ demonſtraverint? de quibus in Evangelio altum ſilentium eſt: niſi hoc quoquè μυστήριον dixeris latitare in illis: *Paſce oves meas*, Et, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Coronationẽ porrò per ſe non eſſe niſi nudam ceremoniã, conjunctam cum ſacerdotali benedictione, neq; qui coronat & inungit ſtatim & confirmandi aut approbãdi aliquod

liquod jus habere, ecquis eſt qui ignoret? Benè Nicolaus Cuſanus Cardinalis *l. III. concordiæ cathol. c. IV: Vnctio & coronatio, quas etiam legimus aliis Regibus tribui, nec arguunt in Papa maioritatem, ſupra ipſam electionem confirmandam vel infirmandam, vel ſupra ipſum etiam Imperium quoad temporalia: ſicut nec unctio quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipſiusmet Imperatoris per Archiepiſcopum Colonienſem Aquisgrani. Et hoc ex eo, quia legitur Othonem primum ab Archiepiſcopo Moguntinenſi Hildeberto Aquiſgrani in Regem Alemanniæ & Francorū coronatū, de conſenſu & voluntate Principum & totius populi Alemanniæ, Saxoniæ & Franciæ. Sic etiam legitur ab Hergero Archiepiſcopo Moguntinenſi, unctionem & diadema, mortuo Conrado Rege, Henrico primo de communi omnium conſenſu oblatam, qui recepto diademate noluit inungi, quia dixit ſe indignum. Ex quibus patet, unctionem & diadema nihil præſtare Imperiali poteſtati. Inſignia enim illa, quaſi ad Maieſtatem ſacram, quæ Imperio ineſt, oſtendendam, materiali viſibili ſubjecto Imperij, cum cæremoniis impenduntur, ut ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam: ſicut ſimilia in Romano Pontifice videmus fieri tantùm. Ante omnia talia Papa eſt poſt electionem. Nomen etiam, quod in coronatione per Papam Imperatori impenditur, mutatur, ut priùs Rex, & poſtea Imperator vocetur, nihil minus potentiam imperandi priùs in eo fuiſſe arguit, ut notiſſimum eſt. Fuit itaque in veritate Imperator, dum in libera poteſtate habuit imperare, etiamſi vulgò ita non nominaretur: ſed ut ad ipſam coronationem anhelet Rex, ſervatur huic ſolennitati hoc nomen.* Benè & Antonius de Roſellis *in Monarchia tract. I. verſ. decimæ rationi, col. I. Non ſequitur; Papa examinat, inungit, & coronat: ergò habet univerſalem adminiſtrationem temporalium; vel ex hoc Imperator iſtam poteſtatem habet. Quia eadem de cauſa diceremus de Electoribus, qui eum eligunt. Colonienſis Archiepiſcopus eum corona ferrea coronat*

nat Aquiſgrani, & Archiepiſcopus Mediolanenſis eum coronat argentea corona in villa Modvetiæ, & notatur de Iureiur. Clement. Roman. in Gloſſ. veſtipius: & tamen falſiſſimum eſſet dicere, hos coronantes vel eligentes habere univerſam poteſtatem terreni Imperij, vel Principem ab aliis habere Imperij poteſtatem. Ante utrumque, Ludovico IV Cæſare, ſcripſerat Lupoldus Bambergenſis; *Non ex eo, quia Papa conſecrat ſeu inungit Imperatorem, habet ille poteſtatem in Imperium. Sunt enim multi Archiepiſcopi & Epiſcopi qui Reges alios inungunt & coronant, quos tamen ab iisdem Archiepiſcopis & Epiſcopis nominationem aliquam & approbationem recipere non videmus.* Hæc illi. Quæ profectò ſole clariora ſunt. Neque verò eſt quod dicas, coronationem Papalem ſingulari jure habere comitem approbandi facultatem: jam enim antè plurimis probavimus cùm Carolinæ familiæ tùm Ottonis M. ſucceſſoribus ad Hildebrandum uſque competiiſſe Iura Cæſarea integra ante omnem Papæ coronationem. Sed & poſt illam Hildebrandinam tempeſtatem, ante coronationem, *Romanorum Reges ſemper Auguſtos* ſeſe dixerunt omnes Cæſares: nec min⁹ Imperialis auctoritatis, dignitatis, Majeſtatis, ſuæ mentionem fecerunt in literis ſuis quam poſt, non tantum nemine Pontificum reclamante, ſed multis etiam eandem loquendi rationem obſervantibus. Exempla multa collegit Goldaſtus *replicatione pro Imperio contra Gretzer. c. XXXVI.* Quid, quod Conradus III ne ab Imperatorio quidem titulo abſtinuerit, etſi Romæ non coronatus? Duas eius epiſtolas hoc titulo inſignitas habet Otto Friſingenſis *l. 1. de geſtis Friderici c. XXIII.* Taceo, plurimis hiſtoriis oſtendi poſſe ſemper creditum eſſe, à Romanorum Regibus, idem ſibi jus eſſe in Romam ante & poſt coronationem. Baldus conſilio CCCXXVI ſcribit: *communem*

eſſe o.

eſſe opinionem Legiſtarum, quod Imperator ante coronationem, licet tanquam Rex Romanorum, poteſt omnia quæ poteſt Imperator poſt coronationem, quin coronatio non ſit de ſubſtantia poteſtatis, licet inferat incrementum Maieſtatis & honoris. Angeli Aretini conſil. cxii. verba ſunt: *Rex Romanus omnia poteſt, ſicuti Imperator coronatus, maxime cum ea quæ ſunt ex certâ ſcientiâ, motu proprio, & de plenitudine agit. Et eſt ſacrilegium de hoc dubitare.*

Tribus illis fundamentis certius eſt quartum, quod à privilegiis petitur Cæſarum Germanorum. Scilicet quod Cæſares noſtri Ordinum conſilio & conſenſu Papis donavere, id illorum eſſe, ſanè concedendum eſt. Verùm enimverò multa Papæ venditant privilegia à ſemetipſis conficta. Ejus notæ eſſe quæ Ludovico Pio, Ottoni I, Henrico II tribuuntur, ſupra oſtenſum eſt. Certè non ii ſunt Papæ, quibus cum, ut in proverbio eſt, in tenebris miceș. Quæ ſub & obreptitiè impetrata ſunt, nec illa vim privilegii habent. Vereor autem, ejus generis eſſe haud pauca. Benè Michäel Coccinius lib. de transl. Imperii: *Nec obſtat, ſi aliqui Reges Imperium receperint in feudum, vel ſuis literis in feudum recognoverint à Papâ. Hujuſmodi namq; recognitiones & ſubmiſſiones, ſi per aliquos ex Regibus ſunt factæ, nec Imperio nec Principibus & Imperio ſubditis aliquod debent generare præjudicium; cùm in hujuſmodi ſubmiſſionibus conſenſus Principum Electorum & aliorum Principum & populi Imperio ſubditorum, ſit requirendus: & ex conſequenti in his erit contradictio admittenda. Nam quando per aliquod factum præjudicatur pluribus, id per omnes illos comprobari debet.* In eandem ſententiam diſſerit haud ſemel Lupoldus Bambergenſis. Eſt verò & naturalis juris: ideoque nec Papæ ipſi conſentiunt in omnia deceſſorum ſuorũ privilegia & acta. Porrò ex

ex certis privilegiis, quæ hactenus quidem ſunt producta, bona quidem multa colligas Eccleſiæ Romanæ donata, at ſummum Imperium in bona illa aut in Vrbem vel Papam donata cuiquam eſſe, nullibi legere eſt. In quibuſdam tabulis diſertè id cautum eſt. Etiam in fictitiis illis Ottonis I additur hæc formula: *ſalvâ in omnibus poteſtate noſtrâ.* Recitat Baronius diploma, quo Fridericus I Hadriano Papæ conceſſerit Vrbem Tiburtinam. In eo diſertè ita legitur: *Hadriano Papa civitatem dimiſimus Tiburtinam, ſalvo tamen ſuper omnia iure Imperiali.* Cives Tiburtini jubentur Papæ obedire *ſalvo in omnibus iure Imperiali.* Nicolaus Cuſanus *l. III. de concord. cathol. cap. XXVII.* ſcribit ab Ottone Magno multa Eccleſiis donata, *at cum certi ſervitij obſervatione.* Neque vero eſt quur quis Friderici II Cæſaris conſtitutionem adducat in medium, quam promulgavit de Eccleſiaſticâ libertate, uti vocant. Quod puer enim conſtituit vir revocavit, neque unquam vim legis univerſalis accepit, ut benè demonſtratum eſt à Goldaſto *Replicatione pro Imperio contra Gretzerum cap. XXXVII.* Neque illâ etiam conſtitutione ſummo Imperio quicquam eſt detractum, etſi ab oneribus immunitatem acceperint Eccleſiarum bona. Hinc Antonius de Roſellis Iuriſconſultus inſignis *tractatu de Monarchiâ*, quem primo ejuſdem argumenti volumini inſeruit Goldaſtus. *Pontifex in dictis bonis donatis ſummi Principis exequitur poteſtatem, quaſi ſignificet, quod exercitium habet iurisdictionis & poteſtatis. Et ſic utile dominium iuriſdictionis habet: quia directum eſt penes Cæſarem, quod non poterat nec poteſt in perpetuum ab eius oſſibus ſeparari. Habet ergo Papa executionem poteſtatis, & non dominium poteſtatis, id eſt, iuriſdictionis, quia iuriſdictio eſt poteſtas de publico introducta, lib. 1. ff. de iur. omn. iud. Vnde infero, quod quoad directum*

& utile dominium ipſarum rerum donatio tenuit, ſicut tenuiſſet alia particularis alienatio rerum particularium: ſed quoad iuriſdictionem, dico quod quantum ad utilem iuriſdictionem, non directam, adhuc tenuit alienatio, ſicut videmus quod cottidie Princeps Ducatus, Comitatus, & Regna elargitur, & tamen retinet in habitu & directo dominio ipſam iuriſdictionem & ius Imperii in bonis aliis commiſſis, ut in cap. 1. de feud. March. Ducat. & Comit. & in iuribus ſupra illis, ita & in his bonis Eccleſiæ donatis ius Imparii & iurisdictionem retinuit atque retinet, quamvis utile dominium eius, etiam exercitium Pontifici commiſerit. Eadem de cauſsâ Maximiliano Cæſare anno CIↃ IↃ decretum, Pontificem quoque invitandum ad onera Imperii ferenda contra Turcam, *quoniam & ille membrum ſit Imperij Romani.*

Quinti fundamenti vanitas ne indiget quidem confutatione. Quid enim abſurdius, quàm Pontificum ſententiis ſtare, quando ipſi ſunt rei? Quàm multa in Decretalibus *ſunt verba*, ut ille apud Æneam Sylvium ait, *Pontificum ſuas fimbrias extendentium?* Sanè ſicubi ipſi confeſſi fuerint eſſe aliquid Cæſarei juris, id admittendum eſt: neque enim tale quid ipſis excidit, niſi veritate expreſſum. Ita acceptamus meritò illud, quod ex illorum bullis colligit ipſe Michaël Lonigus: *Eam eſſe Principibus Germanis eligendi Imperatoris facultatem conceſſam, ut ne quidem à Pontifice coronam conſequi poſſit quem ipſi Imperatorem non pronunciaverint.* In reliquis, quæ propriam cauſſam tangunt, quis ferat Paparum teſtimonium? aut decretorias ſententias? Rectè Ioannes de Pariſiis Dominicanus *tract. de poteſtate Regia & Papali cap. XV*, quem volumini I de Monarchiâ inſeruit Goldaſtus: *Quod arguitur de Nicolao dicente, quod Chriſtus Petro cæleſtis terrenique Imperij iura conceſſit: Reſpondeo, ubi quæritur de poteſtate Papæ in temporalibus, efficax*

tax eſt teſtimonium Imperatoris pro Papâ: at non eſt multùm efficax teſtimonium Papæ proſe ipſo, niſi dictum Papæ fulciatur auctoritate Scripturæ Sacræ vel Scripturæ canonicæ. Et in materiâ ubi Imperator dicit contrarium manifeſtè, item cæteri Pontifices, ut in propoſito, non recipitur tale. Non minùs quoque rectè Miles ille diſſerit, cui colloquendi cum clerico partes tribuit neſcio quis Anonymus ſcriptor, ætate Philippi Pulchri Galliæ regis, in tractatu, quem itidem ſuis inſeruit Goldaſtus: *Nuper mihi riſus magnus fuit, cùm audiiſſem noviter ſtatutum eſſe à D. Bonifacio IIX quod ipſe eſt & eſſe debet ſuper omnes Principatus & regna. Et ſic facilè poteſt ſibi jus acquirere ſuper rem quamlibet, cùm non reſtat niſi ſcribere; quia totum erit ſuum quùm ſic ſcripſerit. Et ſic totum erit veſtrum* (clericorum) *ubi ſtatuere nihil aliud eſt quàm ſibi tenere velle. Nihil ergo aliud erit ius habere, quàm velle. Non habet ergo, niſi ut ſcribat: hoc volo ius eſſe: cùm voluerit caſtrum meum vel villam meam, agrum meum, aut pecuniam & theſaurum habere. Non latet vos, ſapientem clericum, ad quantum vos deducat iſta diſputatio abſurdum.*

Supereſt ultimum, nuda ſcilicet poſſeſſio. Fortaſſis autem non eſt neceſſum ut contra illum titulũ diſſeramus, quùm Papæ ipſimet haud velint videri illo uno rem ſuam niti. Nam quod Paulus III ingenuè id ſit confeſſus, novũ eſt & ſingulare. Non opus igitur eſt, ut adverſus poſſeſſionem iſtam diſputemus multùm, niſi antè etiã ab omnibus aliis Papis confeſſionẽ illam expreſſerimus, illiq; omnibus aliis titulis, quibus hactenus mundum dementaverunt, renunciaverint, faſſi ſcilicet impoſturas ſuas tot ſeculis huc uſq; uſitatas. Notum vero etiam omnibus eſt, nudam poſſeſſionem non dare jus aliquod poſſidendi, ſi alter qui poſſeſſione eſt expulſus nunquã non reclamat. De injuria vero

Q 2 Pon-

Pontificum Cæſaream auctoritatem violantium non tantùm perpetuæ fuere querelę, ab Hildebrando ad uſque noſtra tempora, Cæſarum, Principum & populi Germanici, ſed & ad vindicandam illam, atrociſſimis geſtis in Italia bellis, fuſum ſanguinis plurimum, proteſtationes publicæ inſtitutæ haud paucæ, libri denique editi complures. Quod cum ex hiſtoriis Germaniæ atque Italiæ ſit notiſſimum; nemini non patet, ne quidem poſſeſſionem illam nudam juſtum dare titulum Paparum injuriis.

Quùm nullo igitur jure excuſſerint Papę Cæſareã vim à ſeſe ac Vrbe Româ, manifeſtum eſt, jura illa Cæſarum, quib⁹ ad Hildebrandi uſq; ævũ fuerunt uſi, utut adverſum illa arietaverint Pontifices, hodieque integra ſubſiſtere. Finiam hanc diſputationem verbis, quæ feruntur Cyni Piſtorienſis nobiliſſimi Iuriſconſulti. *Paſtores Eccleſiæ in lupos rapaces ſunt converſi, inſatiabiles rerum temporalium & ambitione dominandi. Diverſis viis illicitis niſi ſunt & nituntur Imperium & Imperialia uſurpare. Ideò ſub eorum gubernatione totus mundus poſitus eſt in maligno, & ſub regimine tyrannorum. Sed ſicut puto, eorum divina vindicta proxima eſt. Et utinam eſſet proximior!*

F I N I S.

FRAN-

Digitized by Google